

P. c. 62

Theologie

E. VI. 405.



LIBER
IOSVAE

AD EBRAICAM VERI-
TATEM RECOGNITVS,
& argumentis atq; scholijs
illustratus

A

Victorino Strigelio.



LIPSIÆ.

CVM PRIVILEGIO.

UNIVERSITÄTS- u. Landesbibliothek
HALLE (SAALE)

AB 67 $\frac{10}{d \mu}$

L57



ILLVSTRI ET
GENEROSO DOMINO
DOMINO GVNTHERO COMITI
*à Schwartzburg, domino in Arnstad
& Sundershausen, &c. domino
suo clementi*

S. D.

SAEPE DE IMPERIIS COGI-
tans hæc quatuor valde admiror,
fatales imperiorum constitutio-
nes, periodos, & limites, & guberna-
torum impetus. Vtor autem fati ap-
pellatione non de Stoica necessitate,
sed de diuina prouidentia, quæ has res
ordinat vel gubernat. Quod igitur im-
peria fato constituentur, non modo
Daniel clare affirmat inquiring, Deus
transfert & constituit regna, sed etiam
sapientes viri extra Ecclesiam fatentur,
vt Aurelius Victor, qui epitomen hi-
storiarum imperatorum confecit, in nar-
ratione de Tito Vespasiani filio diserte
inquit, Potestates fato dantur. Non
enim potest homo patri imperio, con-
stituere durabilem & mansurum statum,
retinere autoritatem, nisi adiuuetur

A 2

diuini-

E P I S T O L A

diuinitus, vt quia Deus non adiuuat Antonium, Cassium, Brutum, Dolabellam & ceteros, non solum frustrantur sua spe, sed etiam sibiipsis exitium accersunt, & implicant Rempubicam perniciosis bellis. Interim Deus excitat adolescentem imbecillum Augustū, Hunc euehit, munit, custodit, adiuuat, huic Rempub. tradit, ceteris depulsis. Hunc tot illustria exempla admonuerunt, vt agnosceret frustra homines appetere imperia & gubernationes, nisi diuinitus adiuuentur. Similium exemplorum plenæ sunt omnes ætates & omnes historiæ. Quanta bella gessit Carthago, vt imperio orbis terrarum potiretur? Nam primum bellum Punicum durauit annos quatuor & viginti, Secundum annos sedecim. Anno autem quarto tertij belli Punici Carthago vi capta & deleta est, quia Deus non Carthagini, sed Romæ quartam Monarchiam assignauerat. Est igitur illa Baptistæ vox vera non solum de Ecclesia, sed etiam de imperijs, Nemo potest sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum desuper.

Deinde fatales esse vrbium & regno-
rum

DEDICATORIA.

rum periodos non dubium est. Nam
 vsitata periodus magnarum mutatio-
 num congruit ad annos quingentos, vt
 annos quingentos viginti Assyrij te-
 nuerunt Asiam, postea Medi eam oc-
 cuparunt illis excussis teste Herodoto.
 Annos quadringentos nonaginta re-
 gnum Athenarum duravit à Cecrope
 vsq; ad Codrum, qui se in medios im-
 misit hostes famulari veste, ne posset
 agnosci, si esset ornatu regio, quod ora-
 culum erat datum, si rex interfectus es-
 set, victrices Athenas fore.

Totidem annos floruit Laconica
 Respublica à Lycurgo, à quo est dis-
 ciplina Lacedæmoniorum astricta le-
 gibus, vsq; ad Alexandri ætatem. Sed
 multa regna vix dimidium huius perio-
 di confecerunt, vt Medorum potentia
 annorum fuit ducentorum sexaginta.
 Monarchia Persica à Cyro vsque ad
 Darium vltimum duravit annos ducen-
 tos triginta. Totidem fere annos vel
 circiter duravit Græcorum Monarchia
 inchoata ab Alexandro. Deniq; expe-
 rientia Platonem mouit, vt in octauo
 de Rep. diceret, certam esse periodum
 cuiusq; ciuitatis & cuiusq; regni, qua

E P I S T O L A

circumacta, ait naturam non progredi ulterius, vt cum planus numerus fit solidus, ventum est ad metam, nec sequuntur cubici. Et quidem hunc sermonem attribuit Plato Musis, quia nec ad stellas, nec ad alias causas secundas, sed ad arcanum ac fatalem naturæ ordinem principaliter referendam esse mutationem regnorum existimat.

Quid dicam de fatalibus limitibus quibus regna septa tenentur? Res ostendit Hellespontum fuisse Persici regni fatalem limitem. Quoties enim Persæ Græcis bellum intulerunt, maximis cladibus affecti sunt, vt testantur historiæ de pugna Marathonia, de victoria Salaminia, & de prælio ad Plataeas, quæ cum omnibus notæ sint, mihi ad commemorandum non videntur necessaria. Sic Euphrates haud dubie fuit fatalis limes Imperij Romani. Nam Crassus ad Euphratem aquilas natumque suosque perdidit, & læto est vltimus ipse datus, vt ait Ouidius libro sexto Fastorum. Et Iulianus Apostata ultra hunc limitem progressus sibi & exercitui exitiū accersuit. Nam solius Christi regnum ita latè patet, vt non habeat defini-

DEDICATORIA.

definitam aliquam regionē, sed iisdem finibus, quibus terrarum orbis, terminetur teste Psalmo 72. Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.

Cæterum fatales esse gubernatorum impetus, qui regna vel constituunt vel mutant, cum alia multa exempla, tum vero Constantini Magni factum præcipue declarat, qui transtulit dignitatem imperij vnà cum præcipuis familijs & opibus ex Italia in Thraciam. Etsi enim situs Byzantij valde opportunus est ad tenendum occidentis & orientis imperium, & tunc assiduis præsijs in eo loco aduersus Gotos & Sarmatas opus erat, quæ quidem commodissime ibi ali poterant: tamen potiolem causam tantæ mutationis fatum fuisse existimemus. Nam multa heroici viri faciunt, de quibus secus videtur alijs. Quare cum Deus puniturus esset Italiam & Romam aduentu peregrinarum gentium, prius voluit alibi arcem imperij & doctrinarū condere. Ac fuit vrbs Constantini annis mille, centum & octodecim, donec à Mahometo capta est, præcipua omnium doctrinarum sedes. Sed

E P I S T O L A

hæc de alijs regnis & Rebuspub. breuiter dixisse satis fit. Nunc ad politiam populi Israël, cuius dux fuit Iosua annos triginta duos, sese conferat & conuertat oratio. Quod enim hæc politia non humanis consilijs, sed à Deo constituta & defensa sit, testatur Psalmus 44. Non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & quæ in eodem Psalmo sequuntur. Extat narratio in primo libro Paralipomenon cap. 7. de filijs Ephraim, qui conati sunt Israëlitas inducere in terram Canaan, quam sciebant semini Abrahamæ promissam esse. Sed non respondit huic spei consiliorum & cogitationum optatus euentus, quia Deus decreuerat alio modo se educturum esse Israëlitas ex Aegypto. Et quanquam Moyfes maximis miraculis populū Israël ex regno Aegyptio eduxerat, eundemq; in deserto annos quadraginta gubernauerat: tamen non ipse, sed successor eius Iosua terram Canaan occupauit & occupatam Israëlitis sorte distribuit. Suum enim cuiq; curriculum diuinitus attributum est, nec Deus vnus opera ad omnes

D E D I C A T O R I A.

omnes res magnas & salutare gerendas utitur.

De periodis vero particularibus huius politiæ locuples testis est historia prophetica & Iosephi. Nam ab exitu populi Israëlitici ex Aegypto usque ad templū Salomonis sunt anni quadringenti octoginta. Inde ad exilium Babylonicum numerantur anni quadringenti viginti duo. A fine huius exilij, quod duravit annos septuaginta, usque ad Christum triumphantem recensentur in prophetia Danielis hebdomades septuaginta, id est, anni quadringenti nonaginta, cuius prædictionis veritatem Christus aduentu suo complevit. Annis vero quadraginta post resurrectionem Christi hanc totam politiam destruxit Vespasianus, nec à postremo excidio instaurata est amplius, ut testantur narrationes in historijs Adriani & Iuliani Apostatae.

Qui porro limites fatales huius politiæ fuerint, ostendit initium libri Iosue. Fuit enim terminus Orientalis Euphrates, Occidentalis mare mediterraneum, Septentrionalis mons Libanus, Austrinus solitudo Kades. De his ter-

E P I S T O L A

minis Hieronymus ad Dardanum prolixè philosophatur. Postremo impetus ducis Iosua fuerunt fatales. Etsi enim bonam magnamq; partem terræ promissæ occupauit victis regibus triginta & vno: tamen Deus non voluit ab eo totam terram deletis veteribus colonis occupari, sed certo consilio reliquias Cananæorum seruauit. His enim reliquijs tanquam organo Israëlitarū impietatem & scelera punire Deus, & fidem exercere voluit.

Cum igitur exempla quæ recitauit testentur omnium regnorum fatales esse constitutiones, periodos & limites, agnoscamus discrimen aliorum regnorū & regni Christi, quod solum est æternum, & totum terrarum orbem complectitur, nec vni angulo inclusum est, vt veteres & recentes Donatistæ somniant. Quod autem in alijs quibusdam libris prophetis pio studio feci, id etiam in libro Iosua præstare conatus sum. Contuli enim historiã Iosua cum fontibus Ebraicis, & singulis capitibus argumenta & scholia quasi quædam emblemata addidi.

Hanc vero lucubratiunculam vnã
cum

DEDICATORIA.

cum libro Iosuae ad te Illustris & Generose Comes mitto, quia non tantum es fortis bellator, sed etiam in praelijs Deum recte inuocas, & reliquas virtutes Iosuae, quantum in hac languida & delira mundi senecta fieri potest, imitaris, cuiusmodi sunt, vera Dei agnitio, timor Dei, fides, studium iuuandae Ecclesiae, magnitudo animi orta ex fiducia praesentiae Dei, moderatio in tota gubernatione. Vt autem Abigail pro Dauide gerente necessaria & iusta bella precatur, Sit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum: Sic ego Deum ardentibus votis inuoco, vt Illustram Clementiam tuam diu florentem & incolumem conseruet, eiq; felicitatem consiliorum & euentuum in castrensi & togata gubernatione tribuat. Bene valeat Ill. Cl. T. quam reuerenter oro, vt hanc significationem subiecti studij boni consulat. Lipsiae Idib. Octob. An. 1566.

Illustris Cl. tuae

obseruantissimus

*Victorinus
Strigelius.*

I
O R A T I O D E
I O S V A.

ET S I vulgus imperitum magis suspicit
& admiratur Alexandrum Philippi
Macedonis filium, qui Persicam Monar-
chiam ad Græcos transtulit, & cui ex rerum
gestarum gloria Magni cognomen fuit, quàm
Iosuam filium Nun, à quo terra Canaan post
mortem Moysi occupata est: tamen nos in
Ecclesia longe antepoamus Alexandro &
alijs bellatoribus Ethnicis successorem Moysi
& ducem populi Dei Iosua. Fuit quidem
in Alexandro Magno fortitudo heroica do-
num & opus Dei, & res quas gessit ante ca-
ptam Babylonem diuinitus gubernate sunt.
Nam heroica virtus nec natura hominibus
inest, nec doctrina comparatur, sed diuinitus
existit in præstantibus naturis, ut Cicero ve-
rissime dixit, Nullum magnum virum sine
afflatu diuino fuisse. Sed Alexander donatus
orbis terrarum imperio, opibus, gloriosis vi-
ctorijs, & alijs diuinis ornamentis, que maio-
ra erant quàm ipsa imperij possessio, non agno-
uit Deum autorem, nec habuit hunc finem
propositum, ut Deo seruiret, & ut sua guber-
natione propagaretur vera de Deo noticia.
Imo remissa priore animi intentione, dedit
se ob-

se obscænis voluptatibus, belluatus est, interfecit ebrius amicos, seuijt in duces fideles & optime meritos, pollutus est libidinibus. His flagitijs addidit manifestas contumelias aduersus Deum. Credi voluit se supra mortaliũ conditionem quiddam diuini numinis habere, non existimauit se res tantas Deo eterno iuuante gessisse, sed suæ sapientiæ & suis virtutibus hanc gloriam tribuit. Prodiit interdum cornutus, vt Iupiter Hammon, interdum vt Diana. Deniq; intolerabili petulantia lusit.

At in Iosua non tantum fuit heroica & admiranda nature vis, sed etiam Spiritus sanctus, qui mentem, voluntatem, cor & dextram præliantis gubernauit, & ipse in prælijs Deum inuocauit, ac sensit adesse ducem & gubernatorem, & religionis vere tuende causa dimicauit, nec res gestas insignibus probris deformauit. Iure igitur anteferrimus Alexandro, Iulio & alijs Ethnicis bellatoribus nostrum Iosuam, qui in rebus gerendis verum Deum inuocauit, & victorias contulit ad propagandam doctrinam de Deo, de Dei inuocatione, de vita æterna. Quid enim attinet vincere, si victoriam tantum luxus, libidines, auaritia, superbia comitentur?

Hoc

Hoc autem discrimine Alexandri & Iosue considerato, deinceps de fortissimo & felicissimo duce populi Israël pauca dicamus, ut iuuentus cogitatione miraculorum & exemplorum, quæ in historia Iosue leguntur sese ad pietatem, modestiam, sollicitudinem de Ecclesia & alias virtutes exuscitet.

Natus est Iosua in Aegypto annis triginta octo ante educationem populi Israël ex Aegypto, ut ostendit ἀναλυτικὴ χρονολογία, quæ extat in cap. 14. libri Iosue. Incidit ergo dies natalis Iosue in annum quadragesimum secundum ætatis Moysi. Fuit autem Iosua nonus à Ioseph, & octauus ab Ephraim filio Ioseph, ut scribitur ἰ παρὰ γλ. cap. 7. Ideo consentaneum est φυσικὰς ἀρετὰς à Ioseph in eum propagatas esse. Nam ex bonis & prestantibus naturis propagari semina virtutum & similes impetus vere existimatur, ut ille inquit:

Fortes creantur fortibus & bonis.

Est in iuuentis, est in equis patrum,

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Quantum autem tribuerit David stirpi Ephraim, apparet ex Psalmo sexagesimo, Meus, inquit, est Manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei. Fuit enim precipuum ro-
bur mi-

bur militare in tribu Ephraim. Quare expostulant filij Ephraim cum Gedeone Iudicum octavo, quasi nulla res magna sine ipsis aut possit aut debeat geri, Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares ad societatem militiae contra Midianitas.

Quod igitur de Aecidis Hesiodus dixit, Αἰακίδαι πολέμῳ κεραιότες ἢ ἐγὼ Δαυτὶ, hoc eodem modo de posteris Ephraim potest dici. Cum enim sint in animis heroicis acerrimi ad virtutem stimuli, non voluptatibus ullis magis delectantur, quàm ipsa virtute. Quare ingenti impetu rapiuntur ad res praeclaras gerendas, non conuiujs, non amoribus, non segnitie reuocantur à rebus necessarijs. Ex his omnibus perspicuum est naturam Iosue & doctrinae capacem & ad virtutem idoneam fuisse. Talis natura cum doctrina & disciplina exuscitatur & conformatur, praeclara ac singularis solet existere. Contigit autem Iosue idoneus formator videlicet Moyses, qui verius illum effecit oratorem verborum, actoremq; rerum, quàm Phoenix Homericus Achillem. Cum enim Moyses imbutus esset non solum doctrina caelesti, sed etiam sapientia quam Aegyptij profitebantur, ut Stephanus Actorum septimo testatur, non dubium est quin discipulo Iosue tradiderit literas, legem

legem diuinam, promissionem de mediatore,
 historias, distinctionem temporum & anni ra-
 tionem, doctrinam de motibus coelestibus, &
 artem medicam, deniq; & Musicam. Hec
 sapientia etsi omnes homines ornat, tamen
 precipue conuenit principibus & heroico gene-
 ri. Qualis autem fuit institutio & assuefactio,
 tales etiam fuerunt mores Iosue, ut dicitur,

Doctrina sed vim promouet insitam
 Rectiq; cultus pectora roborant. Item:
 Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
 Et studio mores conuenienter eunt.

Fuit enim in hoc heroico viro multarum vir-
 tutum copulatio, inter quas velut gemmae in-
 signes eminent, vera Dei agnitio, timor Dei,
 fides, studium iuuandae Ecclesiae, magnitudo
 animi orta ex fiducia praesentiae Dei, mode-
 ratio in tota gubernatione. His virtutibus
 cum faueret Deus, felix & salutaris fuit eius
 militia Ecclesiae Dei, quo nullum maius do-
 num optari potest. In hunc igitur intuentes,
 virtutes ipsius pro nostro modo imitemur.

Sed educendus est Iosua ex hac domestica
 exercitatione & umbratili, mediū in agmen,
 in castra atq; aciem, ut virtus ipsius in arduo
 posita loco conspici possit. Primum autem ex
 militari tabernaculo processit in solem & pul-
 uerem, quando precante Moysse dimicauit

B cum ex-

cum exercitu Amalecitico, eundemq³ fortiter
 & feliciter vicit ac profligavit. In hoc tyro-
 cinio arsit Iosua fide & spe petens & expe-
 ctans auxilium à Deo, & fiducia ac spe ple-
 nus, alacri animo labores ingentes suscepit.
 Magna enim moles, magnum onus est ho-
 minum gubernatio bellica, nec sine auxilio di-
 uino sustineri potest. Sed tamen ut in nauis
 remigum diligentiam non deesse ventis & vi-
 giliantia gubernatoris oportet, ita sit in duci-
 bus cura petendi auxilij diuini & labores ne-
 cessarios obeundi.

Nec vero post hanc victoriam, quæ non
 tam armis fortium virorum quàm precibus
 parta erat, Iosua fecit quod in versu dicitur:
 Ludere victores Marte sedente decet, sed
 se ministrum Moysi fidelem vera animi re-
 uerentia & subiectione præbuit, nec unquam
 à domini & preceptoris latere sine singulari
 mandato discessit. Itaq³ cum Moysse in mon-
 tem Sinai ascendit, & redeuntem in castra
 comitatus est, & tanto amore magistrum su-
 um complexus est, ut cum fama & auditione
 accepisset septuaginta seniores prophetare in
 castris, Moysen his verbis compellarit, domi-
 ne mi, prohibe eos. Metuebat enim fore, ut
 autoritas Moysi imminueretur, si alij quoq³
 dono prophetie ornati essent. Sed Moyses non
 despi-

despiciens alia organa Dei, Iosnam, in quo erat *Ζηλος οὐ κατ' ἄγνοιαν* molli brachio obiurgat inquit, Utinam omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum.

Missus vero à Moysè unà cum Caleb & alijs decem viris ad explorandam terram Canaan, non grauatim aut coactè, sed libenter & ex animo periculosa legatione functus est, cumq; post reditum ceteri collega populum consternatum reddidissent exaggerata immodice & amplificata potentia Cananeorum, & munitione urbium, ipse & Caleb fide & spe pleni populum confirmarunt, & magno animo esse iusserunt, quod Deo promittenti & voluntatem suam patefacienti non modo nihil impossibile sit, sed ne arduum quidem aut difficile. Huius pietatis unà cum Caleb amplissimum fructum cepit. Nam exploratoribus ceteris subita nece coram populo diuinitus interfectis, ipse & Caleb non solum incolumes manserunt, sed etiam soli ex omnibus, qui duce Moysè ex Aegypto exierant, in terram patribus promissam introducti sunt. Habet enim pietas promissiones presentis & aeternae vitae.

Cum autem Israélite quadraginta annos in deserto fuissent, & Moyses ad vitae exitum vocaretur, Dei iussu Iosnam successorem &

ducem populi Israël constituit adhibita ceremonia antiquissima & sanctissima, videlicet manuum impositione, que semper signum fuit benedictionis. Hoc enim ritu Iacob benedicit filiis Ioseph. Hoc ritu Christus benedicit pueris. Eodem igitur ritu Moyses ordinavit Iosua ad gubernationem populi Dei. Sciamus autem non casu, nec sine aliqua significatione hunc ritum à primis patribus & à Christo usurpatum esse, sed magnam benedictionem ei adiunctam fuisse, ut Deuteronomij ultimo scribitur, Iosua repletus est spiritu sapientie, quia Moyses posuit super eum manus suas. Quoties autem hanc Iosue vocationem considero, utrunq; admiror, Moysi quidem modestiam non despicientis ministrum, Iosue vero obedientiam in tam ardua & difficili functione, itemq; amoris erga Ecclesiam flammam illius, & huius fidei puritatem. Tali ergo tantaq; virtute & Moyses & Iosua fuerunt illustres. Nam Moyses non solum bene precatur successori, sed eundem etiam hortatur, ut forti & magno animo militiam suscipiat. Iosua vero audita vocatione Deo obtemperat, & iuuari se à Deo petit, cum sciat ad res magnas & salutare gerendas hæc tria requiri, legitimam vocationem, obedientiam Deo debitam, & auxilium Dei.

Post.

Post hanc gloriosam vocationem & post mortem Moysi precipit Deus Iosue, ut legat diuinos libros, & eis obtemperet, & sit custos eius doctrine, ne ab ullo mutetur, neue corruptele misceantur. Discant igitur principes doctrinam de Deo & de filio eius Domino nostro Iesu Christo, & ita discant, ut fontes querant, non ut illiterati summam tantum excerpant, sed ut mente complectantur totum doctrine corpus, & sciant, que precipue fuerint semper in Ecclesia controuersie, que certamina, que piorum iudicia, que vera doctrine forma & immota testimonia tradita sint, qui refutati sint errores.

Et quoniam Respublica Dei ope & auxilio multo magis quam ratione hominum & consilio gubernatur, Deus amplissimam promissionem sue presentie & auxilij in tanta mole negociorum & periculorum Iosue tradidit inquit: Sicut affui Moysi, sic tibi preesto ero. Non deseram neque derelinquam te. Sis magno & forti animo, non demisso & fracto, quia tecum ero in omnibus que suscipies. Hac promissione confirmatus Iosua non dubitauit cum Dauide exclamare, In te perumpam turmam hostium, & in Deo meo transgrediar murum. Dominus mecum & adiutor meus, & ego gaudebo de osoribus meis.

Quàm autem verè à Salomone dictum sit, ut oculus videat & auris audiat, Deus facit utrunq, exemplum Iosue ostendit. Non solum enim Iosua tanquam oculus consilio & virtute excelluit, sed etiam inclinatio animorum diuinitus facta est in ipso populo, ut hunc ducem libenter sequeretur. Hæc enim vox est populi promittentis suo duci spontaneam obedientiam, & fidelem operam in omni genere officij: Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunq, nos miseris ibimus. Sicut Moysi obediunt, sic tibi quoq, obedientiam præstabimus. Ac quicumq, ori tuo inobediens fuerit, & non obtemperauerit verbis tuis in omnibus, quæ nobis præceperis, morte multabitur. Ut igitur valeat gubernator consilio & virtute, & populus obtemperet, nec excuriat recta monentem, utrunq, Dei opus & donum est. Hæc non omnibus gubernatoribus contingunt, sed singulare Dei donum est in principe autoritas seu maiestas, quæ tribus rebus constat, virtute, felicitate & inclinatione animorum in populo.

Armatus ergo Iosua diuina promissione & autoritate, mittit exploratores in urbem Palmetis claram, non quadam dissidentia, sed ut exemplo suo nos doceat, omnia consilio fieri debere, quæ consilio recte fieri possunt,
etiam

etiam cum Deus nobis adest. Negligere enim media diuinitus concessa & approbata, est tentare Deum, ut si quis nollet vitam cibo & potu fouere, is tentaret Deum. Eisi autem Raab erat Ethnica & meretrix: tamen audita fama de populo Dei, pietatis doctrinam amplexa est, & suis ciuibus duos exploratores Iosue longe anteposuit. Audiuimus enim, inquit, quantas res gesserit Dominus Deus vester in Aegypto, & hac audientes valde consternati sumus. Itaq; foedus cum exploratoribus fecit, idq; iureiurando confirmauit. Hanc fidem laudat epistola ad Ebraeos cap. 11. Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, cum amanter hospitio excepisset speculatores. Post reditum exploratorum Iosua populum Israël ex castris Setim eduxit ad Iordanem, ibiq; triduum commoratus est. Dominus vero dixit ad Iosua: Hodie incipiam te magnificare coram toto Israël, ut sciant quod sicut cum Moysse fui, ita etiam tibi affuturus sim, hoc est, Perficiam edito nouo, inaudito & inusitato miraculo, ut appareat te iuari diuinitus. Multum enim conducit ad auctoritatem parandam & tuendam opinio presentie Dei seu auxiliij diuini. Decimo igitur die primi mensis vniuersus populus Israëliticus duce Iosua transiit per Iordanem exundan-

tem tunc, sed diuina potentia exiccatum è regione Iericho stante aqua in sublimi tam diu, donec sacerdotes gestantes arcam foederis, ex vado fluminis in ripam vltiorem egressi essent, anno quo mortuus est Moyses, ante Christum natum 1469. Ut autem magnitudo huius miraculi sit illustrior, considerentur circumstantiae loci ac temporis. Illa enim parte regionis Israëlita per Iordanem transiuerunt, ubi is vicinus oppido palmetis atq; hortis balsami clarissimo Iericho, non procul inde in mare mortuum, vel salsum, vel lacum Asphaltiten influit, auctus prius plurimis torrentibus, & fluminibus alijs, quæ in ipsum alueos suos exonerant. Quare necesse est ibi Iordanem fuisse latiore & profundiore, quàm in locis, quæ sunt viciniora eius fontibus. Testatur etiam historia in libro Iosue, populum traductum esse primo mense anni Ebraici, qui nostro Aprili fere respondet, quod erat messis initium, quo tempore Iordanis solitus fuit quotannis ita pleno alueo fluere, ut ambas ripas non impleret solum, sed etiam egrederetur. Sed hunc ipsum plenissimo alueo fluentem & exundantem Deus populo suo tunc peruium fecit, ita ut stante & accumulata in immensam molem aqua superius versus fontem, & reliqua inferiore aqua defluen-

defluente in lacum Asphaltiten, Ebraei siccis pedibus transire possent. Hæc miranda historia, significat Christum, cuius imago fuit Iosua, simili modo traducturum esse suam Ecclesiam per mediam mortem, & ingentes huius vite ærumnas, in terram promissam, hoc est, in vitam æternam. Huius allegoriæ locuples testis est Augustinus enarrans Psalmum 98. Magnum erat non dedisse terram istam Moysi. Sed Moyses voluit gestare figuram eorum, qui sub lege erant, quia per Moysen data est lex, & ostendit eos qui sub lege esse vellent, & sub gratia esse nollent, non intraturos in terram promissam. Porro ut memoria mirandi transitus per Iordanem conservaretur & ad posteritatem transmitteretur, Iosua non solum in Iordane, sed etiam in stativis castris, videlicet in Gilgal duodecim lapides collocavit.

Die vero undecimo mensis primi Iosua circumcidit uniuersum populum Israël in castris non procul à Iericho, quæ distabat à Iordane sexaginta stadijs, id est, fere duobus nostris miliaribus, à Ierusalem vero centum quinquaginta stadijs, hoc est, ferè quinq; nostris miliaribus. Nam in itinere propter expectationem profectiois & incertitudinem moræ in singulis locis infantes non fuerant

B s

circum-

circumcisi totis quadraginta annis, & de ijs qui ex Aegypto exierant, nullus Iordanem transierat, exceptis duobus Iosua & Caleb, ceteris omnibus in deserto extinctis propter inobedientiam.

Eiusdem mensis die decimo quarto populus Israël in eisdem castris celebrans pascha ex multorum annorum interuallo, primum usus est panibus azymis factis ex frugibus terre Canaan, defecitq; Manna, quo ad hunc usq; diem quadraginta continuos annos in deserto alita fuerat innumerabilis illa multitudo.

Cum autem Iosua situm regionis specularetur, videt quendam stricto gladio coram astantem, qui interrogatus quis sit, respondit se esse ducem exercitus Dei, missum videlicet ut multitudini Israëlitica opem ferret. Hunc arbitror fuisse ipsum filium Dei ἁγίου, qui affuit Ecclesie inde usq; ab initio, opitulatus est patribus, & cum eis collocutus est, etiam antequam se in carne ostendit. Hec testimonia de filio Dei legentes, statuamus nunc quoque eum adesse Ecclesie, opitulari pijs, depellere Diabolum, & sicut in epistola Ioannis dicitur, destruere opera Diaboli.

Quis autem admiratione velut attonitus non obstupescat legens historiam de Iericho, cuius

cuius muri sine ulla vi humana conciderunt? Cum enim post sex dies obsidionis septimo die sacerdotes antecedentes arcam foederis tubis cecinissent, & populus Israël clamorem militarem excitasset, muri urbis tum florentissime perinde quasi terramotu aut machinis aeneis quassatae essent corruerunt. Capta vero urbe omnes homines iussu Dei interfecti sunt excepta Raab, quae hospitium exploratoribus Iosuae praeberat. Nam religiosa antiquitas iura hospitij sancte coluit, & addidit ceremonias, dedit mutua signa, & in bellis parcebat hospes hospiti, ut Glauco Diomedes apud Homerum, & Graeci Antenori & Aeneae. Ut autem in excidio Iericho Raab seruata est: sic inde usq; ab initio deletis regnis excerpit Deus & seruauit exiguam multitudinem, ut deleta Ierosolyma & dissipata gente Iudaica excerptae sunt reliquiae praedicatione apostolorum, & postea dilacerato imperio Romano ciuilibus & barbaricis bellis, tamen Ecclesia collecta est, & nunc tristissimi regnorum motus & excidia sunt poenae fatales mundi, inter quas tamen Deus excerpit Ecclesiam.

Iam cogita quam omnia tunc letitiae, gratulationum & bonae spei plena fuerint, cum urbs Iericho nulla vi adhibita capta esset. Py Deo gratias agebant, quod in terram pa-
tribus

tribus promissam introducti essent, celebrabant Moſen & Iosua, qui suo ministerio ſeruauerant populi reliquias. Erat iunioribus dulce videre maiorum patriam. Hæc gaudia etiam Iosue labores leniebant. Sed vide imaginem Eccleſiæ, quam ſemper nouæ procellæ obruunt. Hæc tanta gaudia ſequitur triſtiſſimus luctus. Nam Iſraélite conijciuntur ab hoſtibus in fugam, & propter vnius ſcelus minatur Deus ſe deinceps non affuturum eſſe populo. Hic Iosua in quanto luctu fuerit, nemo ſatis explicare poteſt. Dolebat à Cananeis contumelia affici nomen Dei. Præcipue vero excruciabatur Iſraëliotarum imbecillitate, quorum multi iam nullam ſpem eſſe occupandæ terræ Canaan, & fruſtra ſibi verba dari à Iosua dicebant. Hæc eſt Eccleſiæ imago, quam Deus vult & exerceri afflictionibus, & fide expectare liberationes. Deinde intuentes in exemplum Achan, qui partem ſpoliorum Deo conſecratam rapuit, cogitemus quàm verè à Paulo dictum ſit, Radix omnium malorum eſt auaritia. Nullum eſt enim officium tam ſanctum atq; ſolenne, quod non auaritia comminuere atq; violare ſoleat. Ideo quotidie cum Dauide precemur, Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam, que apud Prudentium in
Psycho-

*Psychomachia his versibus suam potentiam
predicat:*

*Viderat & Iericho propria inter funera,
quantum*

*Posset nostra manus, cum victor concidit
Achan.*

*Cædibus insignis, murali et strage superbus
Succubuit capto victis ex hostibus auro.*

*Dum vetitis insigne legens anathema fa-
uillis*

Mæsta ruinarum spolia insatiabilis hausit.

*Cum autem Iosua fuisset in luctu, squalore,
mæsticia propter autorem anathematis, paulò
post letatus est propter testimonium presentie
Dei exhibitum in prælio contra regem Ai,
que sita est è regione Bethel, & letus pro
victoria gratias egit, ac Deuteronomium au-
diente uniuerso populo Israël recitari iussit,
ut ostenderet Ecclesiam seruari cum verbo di-
uinitus tradito & propter verbum.*

*Post hanc victoriam seruauit Gabaoni-
tas, cum lex diuina iussisset omnes Cananeos
deleui, ut Deuteronomij vicesimo scriptum est.
Quanquam enim deceptus erat, & propter
errorem iuramentum videbatur esse irritum:
tamen non mutat promissa, sed antefert iura-
menti reuerentiam mandato, in quo ipso ta-
men sciebat hanc interpretationem compre-
hensam*

hensam esse, ut parceretur supplicibus, sicut expresse scriptum est Deuteronomij 20. Præterea & omnium gentium, in quibus mediocris cura fuit iuste gubernationis, mos fuit parcere supplicibus, ut in versu dicitur:

Non violandus erit supplex sacer esse putetur. In hoc honestissimo more etiam Deus imaginem suæ clementiæ proposuit. Vult parci supplicibus, id est, ijs qui agnoscunt culpam, & offerunt se ad pœnam, & petunt mitigationem. Hoc commune ius supplicum violare turpissimum fuisset duci eius populi, qui unicus in terris erat populus Dei, & præcipue intelligebat & colebat iusticiam & alias virtutes.

Posteaquam vero nunciatum est quinq; regibus Amoraorum, Iericho & Ai anathemate percussas esse, & Gabonitas cum Isræelitibus pacem colere, coniunxerunt suas copias, & obsidione urbem Gabaon cinxerunt. Quare cum Iosua antea supplicibus Gabaonitis percussisset, ingenti animo defensionem eorum suscepit, & ex castris Statiuis, quæ erant in Gilgal, robur militare eduxit. Sed antequam cominus cum hostibus congrediretur, Dominus pauorem eis incussit, ut abiectis armis fugerent, & in fugientes grandinem immisit. Iosua vero compellauit Dominum illo die, cum tradidisset Amoraos filijs Isræel, & dixit
 presente

presente Israël, Sol inhibe cursum in Gabaon,
 & Luna in valle Aialon. Et inhibuit Sol
 cursum suum, & Luna stetit, donec populus
 vindictam exercuisset aduersus hostes suos.
 Stetit itaq; Sol in medio caeli, & totius diei
 spacio non properauit ad occasum. Nec fuit
 talis dies antea unquam nec deinceps obedi-
 ente Domino voci hominis. Nam Dominus
 pugnabat pro Israël.

In hac historia extat illustre testimonium
 de libertate Dei opponendum fato Stoico. Si
 enim Deus alligatus esset causis secundis, non
 potuisset dispensare de ordine nature, sed Io-
 sue precanti hunc in modum respondisset: Tu
 vero frustra consumis tempus & verba, dum
 mihi supplicas. Non enim ea que tu poscis, in
 manu mea est tribuere, legibus definitis pre-
 fixisq; vado, nec minore premor necessitate in
 agendo, quam tu in patiendis. Si que largiar
 proderunt tibi, utere, Sin secus, fer tu neces-
 sitatem tuam equo animo, sicut ego fero me-
 am magno. O sortem natura & maiestate
 Dei indignam. Sed non est Deus numen Par-
 carum carcere clausum Quale putabatur
 Stoicus esse Deus. Ille potest Solis currus
 inhibere volantes, Ille velut scopulos flumi-
 na stare iubet.

Deinde consideretur ipsa magnitudo mi-
 raculi.

raculi. Nam Iosue dimicanti contra quinq³ reges, qui Gabaonitas oppugnabant Sol & Luna, hoc est, omnium stellarum orbes, concitatissimo, quo circumaguntur motu inhibito & fixo diuinitus subito consistunt. Ut autem magnitudo huius miraculi, quod Deus Solem voluit consistere fiat illustrior, primum refutanda videtur absurda sententia, que cœlum, solem, lunam, stellas, supera deniq³ stare omnia censet, neq³ præter terram rem vllam in mundo moueri, que cum circum axem se summa celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra cœlum moueretur. Psalmus decimus nonus clarissime affirmat moueri Solem: Soli posuit tabernaculum in ipsis. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultat ut gigas ad currendam viam suam. Ab extremo cœlorum egressus eius, & reuolutio eius ad extremum eorum. De terra Psalmus centesimus quartus inquit, Qui fundauit terram super stabilitatem suam, non mouebitur in æternum. Et Ecclesiastes in primo capite inquit: Terra in æternum stat, Sol oritur & occidit, & ad locum suum tendens ibi oritur. His diuinis testimonijs confirmati veritatem amplectamur, & in ea sic acquiescamus, ut contemnere eos possimus, qui nos ita sentientes derident. Deinde

Deinde cogitemus quanta sit celeritas in motu Solis. Etsi enim Sol centies & sexagies sexies maior est, quam totius terra dimensio: tamen hoc ingens corpus quotidie ab ortu ad occasum potentissima Dei manu vehitur, cum quidem si in terra decurreret singulis horis ducenta & viginti quinq; miliaria Germanica ei conficienda essent. Iam cogita quantus sit ambitus Solis in margine Eccentrici, qui tanto intervallo à terra abest, ut minima distantia Solis à centro mundi contineat semidiametros terre mille & septuaginta. Ergo inhibitus est motus eius corporis, cuius tam immensa pernicitas, tam inestimabilis in cursu vehementia est, ut vere ceu gigas ab exortu coeli per mundi summa ad occasum, & inde per ima ad ortum tam breui viginti quatuor horarum curriculo rapiatur, nulla ut celeritatis nostris quidem in rebus similitudo non solum inueniri, sed ne cogitari quidem possit. Libet enim eisdem verbis mihi uti, quibus vir ingeniosissimus & doctissimus Simon Gryneus in praefatione Magne constructionis Ptolemei usus est.

Nec vero silentio praterendum est exemplum quod declarat quanta sit vis & efficacia pie precatationis. Obediuit enim Dominus voluntati hominis, & ordinem naturæ

C

mutauit

mutavit propter preces Iosue. Plena est uniuersa historia prophetica exemplorum, que congruunt ad dictum Psalmi, Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Sed nunc breuitatis causa vnum duntaxat exemplum repetam, ex libro Augustini 22. de C. Dei cap. 8. Narrat Augustinus quendam Carthaginis prefectum graui & mortifero morbo oppressum fuisse. Cum autem medici affirmarent hunc morbum non aliter nisi sectione sanari posse, & ipse multoties sectionem graui cum dolore sensisset, in tantam consternationem incidit, vt audito nomine huius extremi remedij penè exanimaretur. Sed tamen precepto, vt vitam redimas, ferrum patieris & ignes, obtemperandum esse duxit. Itaq; dum Chirurgus artis sue instrumenta profert, ardentissimis votis & toto pectore à Deo petit mitigationem dolorum, quorum sensus intolerabilis videbatur, & ceteri qui in eodem conclaui aderant, suos gemitus ad illius precationem adiungunt. Has preces non fuisse inanes, res atq; euentus paulò post declarauit. Etenim Chirurgus exploranti accuratius locum iampridem male affectum, caro omnis morbi expers ac vacua apparuit. Ut igitur paulò ante preces fuerant concepte pro mitigatione dolorum,

lorum, sic post restitutionem sanitatis Deo ab omnibus gratie acta sunt.

Sed redeo ad historiam Iosue. Cum quinque reges terre Canaan accepta clade latebras quesuissent in quadam spelunca, iussit eos Iosua inde extractos pedibus capitaneorum conculcari & interfectos ex arboribus suspendi. Hec particula historie imaginem proponit victorie et triumpho Christi. Quemadmodum enim Iosua pedibus conculcat reges à se captos: Ita filius Dei contriuit caput serpentis, & exiit Diabolo principatu & potestate, & conculcat eos sub pedibus nostris. Sed hoc interest inter victoriam Iosue & victoriam Christi, quod Iosua non vicit sine auxilijs militum. At filius Dei sine auxilio ullius creature destruxit opera Diaboli. Hec una persona est redemptrix, & propria potentia vincit Diabolo, tollit peccatum & mortem.

Consideremus etiam hoc loco discrimen victoriarum Alexandri & Iosue. Etsi enim omnes victorie sunt opera Dei: tamen non omnes ornant doctrinam & Ecclesiam, ut Alexandri victoria Iouem Olympium inuexit, & nunc in Asia & Africa & in magna parte Europa deleta Christi doctrina grassantur furores Mahometici. At Iosue victo-

riæ ornabant doctrinam de lege & de Messia, & proderant illius temporis Ecclesie. Quid autem gloriosius cogitari potest quàm hoc bonum, ut vite cursus proficit ad gloriam Dei, & ad multorum hominum salutem? Hoc decus longe anteferendum est cruentis victorijs & triumphis Alexandri.

Cum autem Iosua septem annis post mortem Moysi vicisset reges Canaan triginta & unum, reliquis viginti quinq; annis sorte diuisit terram filijs Israël. Hæc *ἡγεμονία*, que est lumen totius libri Iosue, ex sermone Caleb sumitur. Sic enim Iosue 14. Caleb loquitur: *Quadragesima annorum eram, quando misit me Moyses seruus Domini à Kades Barnea ad explorandam terram: Et nunc enutriuit me Dominus quemadmodum dixit vsq; ad hunc quadragesimum quintum annum, ex quo locutus est Dominus ad Moysen. Post sententiam vero Dei aduersus sexcenta millia virorum latam triginta & octo annos Israëlite in deserto vagati sunt. Quare septem desiderantur anni ad conficiendum annos octoginta quinq; ætatis Caleb.*

Quanquam autem Iosua, ut dixi, sorte filijs Israël terram promissam diuisit: tamen nullam partem terra sibi assignauit, sed oblatam à populo accepit, docens eos qui in aliquo ma-

quo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed utilitati subditorum inservire debere. Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est. Nul- lum enim vitium tetrius est, ut verissime di- xit Cicero in secundo libro de officiis, quam avaritia, praesertim in principibus & Remp. gubernantibus, cum habere questui Remp. non modo turpe sit, sed sceleratum etiam & nefarium.

Porro Iosua vocatus ad vitae exitum ma- gis de statu Ecclesiae, quam de suis rebus an- gitur, ut de Theodosio scripsit Ambrosius, Dilexi virum, qui cum corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis pe- riculis angebatur. Nihil est enim quod prin- cipem magis commendet Deo & hominibus, quam pia sollicitudo de patria omnium lauda- tissima Ecclesia. Si enim magni & fortes vi- ri debent maximas dimicationes suscipere, ut posteris salvam Remp. tanquam certam sedem relinquunt, quanto magis decet sic af- fectos esse Christianos & principes & docto- res, ut cupiant posteris relinquere Ecclesiam recte constitutam & tranquillam. Hac igi- tur pia sollicitudine permotus Iosua totam Ec- clesiam populi Israël hortatur, ut puritatem

doctrinae & cultuum, tanquam præclarum depositum & magni precij thesaurum bona fide custodiat, & vitet omnes occasiones idolatriæ & corruptelæ bonorum morum. Utitur autem duobus argumentis ad persuadendum maxime accommodatis, quorum prius ducitur à veritate promissionum & comminationum diuinarum. Deus est verax. Itaq; & comminationes & promissiones ipsius sciamus ratas & firmissimas esse. Affirmat autem Deus se obedientibus daturum esse premia, & contumaces puniturum esse. Quare firmissime statuendum est, Deum & promissa præstiturum esse, & fore executorem poenarum. Alterum ducitur à commemoratione beneficiorum, quæ Deus huic populo exhibuit in peregrinationibus patrum, in Aegypto, in deserto, & in terra Canaan. Nulla enim res efficacior est ad excitandum in animis timorem Dei & piam gratitudinem erga Deum quàm præteritorum beneficiorum iucunda recordatio.

Cum igitur vixisset Iosua annos centum & decem, & fuisset dux populi Israël fortissimus & felicissimus annos triginta duos, mortuus est, & sepultus in limite hereditatis suæ in Timnath Serah, quæ in montanis Ephraim sita est. Iure autem annumerari

rari potest ijs, quos Cicero in primo de oratore beatos predicat, qui in optima Republica cum & honoribus, & rerum gestarum gloria florerent, eum vite cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Nam septem annis, quibus bella cum Cananeis gessit, omnia ei cesserunt, omnia prona fuerunt. Iordanis diuisus praeiuit ipsi & populo mirandum transitum. Hiericho sua sponte collapsa est. Sol stetit immotus propter ipsius preces, denique in senecta Deus concessit ei Alcyonia, quae paucis senibus contingunt iuxta dictum, Time senectam quia non venit sola. Sed multo beatior est Iosua ob hanc causam quod rerum gestarum gloriam nullo scandalo deformauit. Etsi enim Gedeon, Samson, Dauid, Salomon fuerunt magni viri & utiles patriae: tamen aut voluptatibus se dederunt, aut idolis vite cursum deformarunt. At Iosua fuit vir vere bonus, qualem nasci difficile est manibus, pedibus & mente τετράγυγος. Quamobrem moriens vere cum Paulo exclamare potuit, Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. Deinceps reposita est mihi corona iusticiae, quam reddet mihi DOMINVS in illo die, qui est iustus iudex.

C 4

Non

Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Quàm autem vera sint dicta, quæ significant mores & iudicia populi congruere ad exempla gubernatorum, ostendit euentus, qui recitatur in libro Iudicum. Etenim post mortem Iosue pij & felicitis gubernatoris cepit populus Israël colere idola & laxare frenos disciplina. Ut enim principum vitis infici tota ciuitas, sic emendari & corrigi eorundem pietate & virtute solet. Quare cum principum exempla in utranq; partem plurimum valeant, precemur à Deo ut multos principes similes Iosue excitet, & eos quos Ecclesiæ dedit diu incolumes & florentes conseruet, ne cum eis libertas patriæ & vera religio sepeliantur. Nos vero humili strati etsi vix suspicere possumus heroicam sapientiam, virtutem & felicitatem Iosue: tamen pietatem ipsius, dilectionem erga Ecclesiã, modestiam & alias virtutes pro nostra mediocritate imitemur, & Deo gratias agamus, qui omnium Decalogi virtutum illustre exemplum, & typum Domini nostri Iesu Christi in Iosua lucere & conspici voluit.

ARGV-

ARGUMENTVM
LIBRI IOSVAE.

VICTORIAE & triumphi Iosuae non tantum confirmant veritatem diuinarum promissionum de certa sede Ecclesiae ad Iordanem, sed etiam dulcissimae imagines sunt victoriae & triumphi Domini nostri Iesu Christi resuscitati ex morte & ascendentis in caelum, & paulò post ad nos redituri, vt conterat Satanam sub pedibus nostris. Quemadmodum enim Moyses legislator non potuit populum Israël collocare in terra Canaan, Ita lex non iustificat aut viuificat, nec à lege remedia peccati & mortis peti possunt. Vt autem Iosua populum de manu Moyfi in suam manum præstantem victoria traditum per Iordanem traduxit in terram patribus promissam, & singulis familijs ratam terræ partem assignauit: Ita verus Iosua Dominus noster Iesus Christus traducit nos per miserias huius vitæ in domum patris sui, in qua multæ sunt mansiones, & tabernacula non manu facta & fragilia, sed permanentia & æterna.

C. 5

CAPVT

C A P V T I.

Argumentum.

NON inuasit Iosua imperium sine vocatione, sed manifestam vocationem expectavit, ut nos exemplo suo doceret nullam gubernationem inuadendam esse sine vera vocatione. Post vocationem præcipit Deus Iosue, ut legat diuinos libros, & eis obtemperet, & sit custos eius doctrine, ne ab ullo mutetur, neue corruptela misceantur. Et quoniam homo non potest gerere res magnas & salutare sibi & Reip. & retinere autoritatem, nisi adiuuetur diuinitus, promittitur Iosue auxilium, & populus inclinatur ut hunc ducem libenter sequatur. Discamus igitur nihil tantandum esse sine vocatione, nec confidamus humanis consilijs aut viribus, sed sciamus gubernationes vere esse opera Dei, & non esse felices nisi Deo iuuante. Quare necessaria tantum, que postulat vocatio, faciamus, & auxilium Dei imploremus.

T E X T V S.

Post mortem Mo-
sis serui **DOMI-**
NI, dixit **DOMINVS**

Iosua natus in
tribu Ephraim, 1.
Par. 7.

ad Io-

ad Iosiam filium Nun ministrum Mo-
 sis: Seruus meus Moses mortuus est.
 Surge igitur & transi Iordanem istum,
 tu, & hic populus vniuersus in terram,
 quam ego ipsis, videlicet filijs Israël,
 dedi. Omnem locum, quem calcauerit
 planta pedis vestri, tradidi vobis, sicut
 locutus sum ad Mosen. A deserto & hoc
 libano vsq; ad fluuiū
 magnū Euphratem,
 tota terra Hitthæo-
 rum vsque ad marē
 magnū occidentale,
 erit terminus vester.

Limites terre pro-
 missæ:
 Euphrates
 Mare mediterraneū
 Desertum Cades
 Libanus.

Nemo se tibi opponet in omni vita
 tua. Sicut affui Mofi, sic tibi præsto-
 ero, Non deseram, neq; derelinquam
 te. Sis magno & forti animo, quia di-
 uides huic populo terram, quam patri-
 bus ipsorum iuramento promisi me da-
 turum esse. Esto igitur magnanimus
 & excelsa quadam constantia in ser-
 uandis & faciendis omnib. iuxta legē,
 quam tibi Moses seruus meus manda-
 uit. Noli discedere
 ab ea neq; ad dextrā,
 neq; ad sinistram, vt
 prudenter agas in

Præceptū seuerissi-
 mum vt magistratus
 discat legē, & eam
 sequatur in tota gu-
 bernatione.

omni-

omnib. quæ suscipis. Et nõ recedat liber huius legis ab ore tuo, sed meditare in eo dies & noctes, vt serues & facias omnia, quæ in eodem scripta sunt. Tunc

felix erit cursus tuus
& prudenter ages.

Pietas habet promissiones præsentis & æternæ vitæ.

Ecce præcepi tibi, vt sis magno & forti animo, non demisso & fracto, quia D O M I N V S Deus tuus

Promissio amplissima præsentis & auxilii diuini.

tecum est in omnibus quæ suscipies.

Præcepit itaq; Iosua præfectis populi dicens, Ite per castra & præcipite populo dicentes, Instruite vos commeatibus. Nam post triduum transibitis hunc Iordanem, vt intretis & occupetis terram, quam D O M I N V S Deus vester daturus est vobis.

Et ad Rubenitas & Gaditas & ad dimidiam tribum Manasse dixit Iosua, Subeat animum recordatio verbi, quod vobis Moses seruus Dei dixit inquiring: D O M I N V S Deus vester concessit vobis quietem, & hanc terram assignauit. Coniuges vestras & liberos vestros & pecora vestra relinquit in terra, quam vobis Moses attribuit in citeriore ripa

Iorda-

Iordanis. Vos autem probe parati & armati anteceditis fratres vestros, quicumque bello idonei estis, & opem eis feretis, donec DOMINVS etiam fratribus vestris quietem concesserit, sicut vobis, vt etiam occupent terram, quam ipsis DOMINVS Deus vester daturus est. Postea redibitis in terram vestram, quam vobis Moses seruus Dei assignauit vt eam possideatis in citeriore ripa Iordanis versus Solis ortum.

Et respondentes Iosue dixerunt, Omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & quocumque nos miseris, ibimus. Sicut Mosi obediuimus, sic tibi quoque obedientiam præstabimus. Tantum sit DOMINVS Deus tuus tecum sicut fuit cum Mose. Quicumque ori tuo inobediens fuerit, & non obtemperauerit verbis tuis in omnibus, quæ nobis præceperis, is morte multabitur. Sis ergo forti & magno animo.

Prouerb. 20. Vt oculus videat & auris audiat, Deus facit vtrunque.

C A P V T I I.

Argumentum.

ETSI

*ETSI Raab erat Ethnica & meretrix :
tamen audita fama de populo Dei , pietatis
doctrinam amplexa est , & suis ciuibus exte-
ros homines longe anteposuit. Audiui-
mus enim , inquit , quantas res gesserit Dominus
Deus vester in Aegypto , & hac audientes
valde consternati sumus. Itaq; foedus cum ex-
ploratoribus fecit, idq; iureiurando confirma-
uit. Hanc fidem Raab laudat epistola ad E-
braeos cap. 11. Fide Raab meretrix non perijt
cum incredulis, cum excepisset hospitio explo-
ratores pacifice.*

T E X T V S.

Iosua vero filius
Nun nemine con-
scio misit ex Sittim
duos exploratores,
ac dixit eis, Ite & lu-
strate terram atq; Ie-
richo , qui abeuntes
venerunt in domum
cuiusdam meretricis , quæ vocabatur
Rahab, & quæsiuerunt ibi hospitium.
Cum igitur regi Iericho nunciatum
esset , Ecce hac nocte viri ingressi sunt
de filijs Israël ad explorandam terram,
misit

Iosua mittit ex-
ploratores non qua-
dam diffidentia, sed
vt exemplo suo nos
doceat omnia fieri
debere , quæ confi-
lio recte fieri pos-
sunt , etiam cum
Deus nobis adest.

misit rex Iericho ad Rahab & iussit ei
nunciari, Educ viros qui venerunt ad
te in domum tuam, quia venerunt ut
totam terram explorent. Sed mulier
occultavit duos vi-
ros, & sic locuta est,
Venerunt quidem ad
me viri, sed ego ne-
sciui unde essent. Et
cum venisset tempus,
quo portæ claudi so-
lent, egressi sunt in
crepusculo, nec scio
quo abierint. Cito
eos persequimini, quia
comprehendetis eos.
Iussit vero eos ascen-
dere in tectum, & ab-
scondit eos sub cau-
lib. lini, quos in tecto
collocaverat. Viri vero persecuti sunt
eos in via quæ ducit ad Iordanem, usque
ad vadum, & portæ claudebantur post
exitum eorum, qui illos persequerentur.
Antequam vero viri cubitum irent, as-
cendit ad eos super tectum, & dixit ad eos,
Scio quod DOMINUS dederit vobis
terrâ. Nam pavor à vobis ortus nobis
iniectus

Occultatio offi-
ciosa locum habet
in dictis aut actio-
nibus, in quibus con-
fessio veritatis non
necessaria est, imo
& aliis quos tegere
debemus, noceret,
ut Raab narrat abi-
isse speculatores. Et
1. Reg. 19. Michol
imposita statua in
lectum, respondet
militibus patris, æ-
grotare Dauidem.
Et 2. Reg. 17. mulier
in Bahurim narrat
abiisse Davidis co-
mites.

rix :
tatis
exte-
imus
inus
ntes
ex-
ma-
d E-
erijt
plo-

ex-
ua-
sed
nos
ieri
nfi-
oof-
um

ur
.
m
nt
n,
it



iniectus est, & omnes incolæ terræ con-
sternati sunt propter aduentum ve-
strum, quia audiuimus, quomodo DO-
MINVS aquas in mari rubro coram vo-
bis desiccavit, cum exiretis ex Aegypto,
& quid duobus regibus Amoræorum
Sihon & Og in citeriore ripâ Iordanis
feceritis, quomodo videlicet anathe-
mate eos percusseritis. Postquam igitur
hæc fama ad nos allata est, cor no-
strum fractum est, nec quisquam ma-
gno animo aduentum vestrum expe-
ctat. Nam DOMI-
NVS Deus vester est Vox plena fidei.
Deus tam supra in cœlo, quam infra
in terra.

Nunc ergo iurate mihi per DOMI-
NVM, quoniam ego vobis misericordiæ
officia præstiti, vos quoque reddituros
esse mutua officia domui patris mei, &
date mihi certum si-
gnum, quod velitis Fides per dile-
ctionem efficax.
incolumes conserua-
re patrem meum, matrem meam, fra-
tres meos & sorores meas, & omnes eo-
rum facultates, & eripere animas no-
stras ex morte. Responderunt ei viri,
Si non retulerimus tibi officia miseri-
cordiæ

cordiæ & fidelitatis, cum DOMINVS terram nobis dederit, anima nostra coram vobis rea sit mortis, si modo non prodideris actiones nostras.

Demisit ergo eos in fune per fenestram, quia domus eius erat vicina manibus, & ipsa habitabat iuxta murum. Et dixit ad eos, Ite in montana, ne obviam vobis eant qui persequuntur vos, & occultate vos ibi tridui spacio, donec redeant qui vos persequuntur. Postea iter vestrum conficite.

Dixerunt autem ad eam viri, Nos liberi erimus à iuramento, quod nobis imposuisti, si venerimus in terram, nec tu alligaueris fenestræ hunc funiculum coccineum, quo nos ex alto demisisti, nec cōgregaueris in domo tua patrem tuum, matrem tuam, fratres tuos & totam domum patris tui. Ac si quis ex domo tua per ostium egressus fuerit, sanguis eius super caput eius,

Funiculus coccineus est symbolum sanguinis Christi, per quem meretrices, quæ fuerunt tales, sed conuersæ sunt ad Deum, & mores emendauerunt, remissionem peccatorum consequuntur. Est autem Raab imago Ecclesiæ ex gentibus collectæ. Huius allegoriæ autor est Iu-

D

& nos

& nos innocentes erimus. Omnium vero sanguis super caput nostrum erit, qui in domo tua fuerint, & manus eis admovebitur. Quod si famam sparseris de nostris actionibus, soluti erimus à iuramento, quod imposuisti nobis. Illa vero respondit, Fiat sicut dixistis, & dimisit eos. Et abeuntibus illis alligavit funiculum coccineum fenestræ.

Illi vero abeuntes venerunt in montana, & commorati sunt ibi totum triduum, donec redijissent hi, qui eos persecuti fuerant. Quæsiuerant enim eos in omnibus vijs, nec tamen inuenerant. Redierunt ergo duo viri & relictis montanis, traiecerunt, & venientes ad Iosnam filium Nun, exposuerunt ei omnia quæ obseruatione notaerant. Et dixerunt ad Iosnam, DOMINVS tradidit in manus nostras vniuersam terram, & omnes incolæ terræ sunt fracto & demisso animo propter nos.

stinus Martyr in colloquio cum Tryphone: ὁμοίως τὸ σύμβολον τῆς αἱματος τῆς ζωῆς ἐδήλωσε, διὰ τοὺς οἰκτάριους πόρνοι καὶ ἀδικοὶ ἐν πάντων τῶν ἐθνῶν σώζονται, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβόντες, καὶ μηκέτι ἁμαρτάνοντες.

C A P V T

CAPVT III.

Argumentum.

DECIMO die primi mensis vniuersus populus Israëliticus duce Iosua transiit per Iordanem exundantem tunc, sed diuina potentia exiccatum è regione Iericho stante aqua in sublimi tam diu, donec sacerdotes gestantes arcam foederis, ex vado fluminis in ripam vltiorem egressi essent, anno quo mortuus est Moyses, ante Christum natum 1469. Ut autem magnitudo huius miraculi sit illustrior, considerentur circumstantiae loci ac temporis. Illa enim parte regionis Israëlitae per Iordanem transiuerunt, vbi is vicinus oppido tum florentissimo Iericho, non procul inde in mare mortuum influit, auctus prius plurimis torrentibus & fluminibus alijs, quae in ipsum suos alueos exonerant. Quare necesse est ibi fluuium fuisse latiore & profundiore, quam in locis, quae sunt viciniora eius fontibus. Testatur etiam narratio huius capituli populum traductum esse primo mense anni Ebraici, qui nostro Aprili fere respondet, quod erat messis initium, quo tempore Iordanis solitus fuit quotannis ita pleno alueo fluere, vt ambas ripas non impleret solum, sed

D 2

etiam

etiam egrederetur. Sed hunc ipsum plenissimo alueo fluentem & exundantem Deus populo suo tunc peruium fecit, ita ut stante & accumulata in immensam molem aqua superius versus fontem, & reliqua inferiore aqua defluente in lacum Asphaltiten, Ebraei siccis pedibus transire possent. Hæc historia significat Christum, cuius imago fuit Iosua, simili modo traducturum esse suam Ecclesiam per mediam mortem et ingentes huius vitæ erumnas, in terram promissam, hoc est, in vitam æternam.

TEXTVS.

Surrexit vero Iosua mane, & motis castris à Sittim venerunt ad Iordanem, ipse & omnes filij Israël, atque ibi commorati sunt, priusquam trajcerent. Post triduum vero ibant præfecti per castra & præcipientes populo dixerunt: Cum videritis arcam foederis DOMINI Dei vestri, & sacerdotes leuiticos eam gestantes, migrate ex loco vestro & sequimini eam, sic tamen ut inter vos & illam sit
spa-

Sexto die Aprilis Iosua successor Moyfi populū Israel primum ex castris Setim educit ad Iordanem, ibique triduum commoratur.

spacium implens cubitos bis mille, nec propius ad eam accedatis, vt sciatis qua sit iter faciendū, quia hoc iter nunquā antea ingressi estis.

Et Iosua dixit ad populum, Sanctificate vos. Cras enim faciet Deus inter vos ingens miraculum. Et ad sacerdotes dixit, Gestate arcam fœderis, & anteceditate populum. Et gestantes arcam fœderis præibant populo. **DOMINVS** vero dixit ad Iosua, Hodie incipiam te magnificare coram toto Israël, vt sciant, quod sicut cum Mose fui, ita etiam tibi affuturus sim. Et tu præcipe sacerdotibus, qui gestant arcam fœderis dicens, Quando veneritis ad extremitatem aquarum Iordanis, consistite.

Et Iosua dixit ad filios Israël, Accedite &

Arca fœderis imago verbi, de quo dicitur, Lucerna pedibus meis verbū tuum & lumen semitis meis, scilicet, in doctrina de Deo, in moribus & in consiliis.

Sicut Iosua filius Nun ex miraculo apud Iordanem edito innotuit esse vir à Deo dilectus: Ita Iesus noster post Iordanem & susceptum a Ioanne baptisma, doctrinæ & miraculorum fecit initium. Theodoretus quæstio. i. in Iosua.

dite & audite verba DOMINI Dei vestri. Et dixit: Inde cognoscetis quod inter vos sit Deus viuus, & quod coram vobis expulsurus sit Cananæos, Hitthæos, Hiuæos, Pherisæos, Girgofæos, Amoræos & Iebusæos, Ecce arca fœderis dominatoris totius terræ antecedet vos in Iordane. Eligite igitur ex vobis duodecim viros de tribubus Israël singulos ex singulis. Cum ergo plantæ pedum sacerdotum, qui gestant DOMINI arcam dominatoris totius terræ, sese aquis Iordanis immerferint, aquæ intercidentur quæ ex superiori parte Iordanis defluunt, & in vnam molem collectæ & coaceruatæ stabunt.

Profecto itaq; populo ex tabernaculis suis, vt transirent Iordanem, & gestantibus sacerdotibus arcam fœderis coram populo, ac venientibus ad Iordanem, & pedes suos in aquæ extremitatem immergentib.

(Iordanis vero im-

Verus Deus appellatur viuus ad differentiam idolorum, quæ aut sunt res mortuæ aut nō possunt dare vitam. In vero autem Deo sumus, viuimus & mouemur.

Amplificatio miraculi a circumstan plebat

plebat omnes ripas suas toto tempore messis) steterunt aquæ, quæ ex superiori parte defluunt erectæ in vnam molem & longo interuallo seiunctæ ab hominibus ciuitatis, quæ sita est in latere Zarthan, Aquæ vero quæ defluunt in mare solitudinis, quod est mare salis, defecerunt & diffluxerunt. Hoc modo populus transiit è regione Iericho. Et sacerdotes gestantes arcam fœderis D O M I N I stabant in sicco sicut erant ordinati intra Iordanem, Et totus Israël per siccum transiit, donec vniuersus populus traiecisset Iordanē.

tiis loci & temporis.

Singulare Dei beneficiū fuit, quod hac exūdatione Iordanis ceu muro & vallo quotānis munire voluit illa loca fertilissima, continentia singulārē illum & nobilissimum Balsami hortum, & alioqui propter ipsam fertilitatem obnoxia latrunculorū incursionibus, ne incolæ loci illius occupati demetendis & importandis frugibus, inermes, tempore messis subito in agris opprimerentur a vicinis grassatoribus, Arabibus, Moabitibus & aliis.

C A P V T I I I I .

Argumentum.

D 4

TAN-

TANTA est hominum negligentia & ingratitude, ut mox soleant obliuisci summorum beneficiorum Dei. Quare ut memoria mirandi transitus per Iordanem conseruaretur & ad posteritatem transmitteretur, Iosua non solum in Iordane, sed etiam in statiuis castris, videlicet in Gilgal duodecim lapides collocauit. Sic omnium mirandorum operum Dei memoriam in Ecclesia subinde renouari non prodest solum, sed etiam est necessarium. Quaquam enim hac consuetudo à profanis hominibus tanquam superstitiosa & inutilis contemnitur: tamen nos in Ecclesia ita assuefacti simus, ut nunquam nos maximorum operum Dei capiat obliuio.

TEXTVS.

CVM autem vniuersa multitudo transisset Iordanem, locutus est **DOMINVS** ad Iosua dicens, Eligite duodecim viros ex singulis tribubus singulos, & præcipite eis dicentes, Tollite ex Iordane lapides duodecim, in eo loco, vbi pedes sacerdotum ordinati consistunt, & vobiscum asportate, ut relinquatis eos in diuersorio, in quo hac nocte manebitis.

Voca-

Vocauit itaq; Iosua duodecim viros, qui ordinati erant à filijs Israël, ex singulis tribubus singulos, & dixit ad eos, Transite coram arca DOMINI Dei vestri per mediũ Iordanis, & vnusquisq; attollat lapidem eundemq; humeris imponat iuxta numerum tribuum filiorum Israël, vt sint signum inter vos. Cum enim filij vestri deinceps interrogauerint parentes suos & dixerint, Quem vsu habent hi lapides? tunc commemorabitis eis, quomodo aqua Iordanis intercisa fuerint coram arca foederis DOMINI, quando transiuit per Iordanẽ. Quare hi lapides perpetui monitores erunt filijs Israël.

Fecerunt ergo filij Israël sicut præceperat eis Iosua, & exportarunt duodecim lapides ex medio Iordane, sicut DOMINVS locutus fuerat ad Iosua, iuxta numerum tribuum filiorum Israël, & transtulerunt eos secum in diuersorium, atq; ibi reliquerunt. Et Iosua erexit duodecim lapides in medio Iordane, vbi steterant pedes sacerdotum gestantium arcam foederis, qui quidem manent ibi ad hunc vsq; diem. Nam sacerdotes gestantes arcam steterunt in

D 5 medio

medio Iordane, donec omnia perficerentur, quæ DOMINVS Iosua præceperat, vt loqueretur ad populum, sicut Moses Iosua præceperat. Et populus cū festinatione transiuit.

Cum igitur vniuersus populus transisset, transibat & arca DOMINI, & sacerdotes coram populo. Et Rubenitæ vnâ cum Gaditis & dimidia tribu Manasse antecedeabant armati filios Israël, sicut Moses ad eos locutus fuerat. Circiter quadraginta millia probe parati ad bellum ibant coram DOMINO ad pugnam in campibus Iericho. Illo die magnificauit DOMINVS Iosua coram vniuerso Israël, & timebant eum, sicut timuerant Mosen, cunctis diebus vitæ eius.

Et DOMINVS dixit ad Iosua, Præcipe sacerdotibus, qui gestant arcam fœderis, vt ex Iordane ascendant. Præcepit itaq; Iosua sacerdotibus dicens, Ascendite ex Iordane. Et cum sacerdotes, qui gestabant arcam fœderis

DOMI-

Non dubium est singulos Israëlitas omnem præcedentium incessum, & suorum etiam comitum gradum vt nimis tardū in tanto periculo increpasse, & moram castigasse.

DOMINI ex Iordane ascenderent, & vestigia sua arida imprimerent, redierunt aquæ Iordanis in locum suum, & fluxerunt sicut antea in omnibus ripis suis. Erat autem decimus dies mēsis primi, quo populus ex Iordane ascendit, & castrametati sunt in Gilgal in latere orientali Iericho.

ἁπολογία transitus mirandi per Iordanem.

Et duodecim lapides, quos tulerant ex Iordane, erexit Iosua in Gilgal, & dixit ad filios Israël, Cum filij vestri deinceps interrogauerint parentes suos & dixerint, Quem usum habent hi lapides? certiores eos facietis dicentes, Israël siccis pedibus transiit per Iordanem, cum DOMINVS Deus vester deficcasset aquas Iordanis coram vobis donec transiretis, sicut DOMINVS Deus vester fecerat in mari rubro, quod coram nobis deficcauerat, donec transiremus,

vt omnes gentes terræ agnoscant manū DOMINI, quā potentis sit, vt timeatis DOMINVM Deum

Finis omniū miraculorum. Quis enim potest, cum existimet tanta opera a Deo edita esse, non & dies & vestrum

vestrum omni tem-
pore.

noctes diuinū nu-
men horrere ?

CAPUT V.

Argumentum.

DIE undecimo mensis primi Iosua circumcidit uniuersum populum Israël in castris non procul à Iericho in loco, qui ab illo facto postea dictus est Gilgal. Nam in itinere propter expectationem profectiois & incertitudinem moræ in singulis locis infantes non fuerant circumcisi totis quadraginta annis, & de ijs qui ex Aegypto exierant, nullus Iordanem transierat, exceptis duobus Iosua & Caleb, ceteris omnibus in deserto extinctis propter inobedientiam. Eiusdem mensis die decimo quarto populus Israël in eisdem castris celebrans pascha ex multorum annorum interuallo, primum usus est panibus azymis factis ex frugibus terre Canaan, defecitq; Manna, quo ad hunc usq; diem quadraginta continuos annos in deserto alita fuerat innumerabilis illa multitudo. Porro cum Iosua situm regionis specularetur, videt quendam stricto gladio coram astantem, qui interrogatus quis sit, respondit se esse ducem exercitus Dei, missum videlicet, ut multitudi-

ritudini Israëlitica opem ferret. Arbitror autem hunc fuisse ipsum filium Dei λόγον, qui affuit Ecclesie inde vsq; ab initio, opitulatus est patribus, & cum eis collocutus est, etiam antequam se in carne ostendit. Hæc testimonia de filio Dei legentes, statuamus nunc quoque eum adesse Ecclesie, opitulari p̄is, depellere Diabolum, & sicut in epistola Ioannis dicitur, destruere opera Diaboli.

T E X T V S.

CVm ergo omnes Reges Amoræorum, qui habitabant trans Iordanem versus occasum, & omnes reges Cananæorum maris accolæ audirent, quomodo DOMINVS aquas Iordanis exiccasset coram filijs Israël, donec ipsi transissent, fractum est cor eorū, nec quicquam animi in eis erat coram filijs Israël.

Psal. 76. Qui auferit spiritū principibus, & terribilis est regibus terræ. Sic Cicero de Pompeio ad Atticū scribit lib. 7. ep. 136. Cn. noster (o rem miseram & incredibilem) vt totus iacet, non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Mittam illa, fugam ab vrbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones, ignorantem non solum aduersarii, sed etiā suarum copiarum.

Illo

Illo tempore dixit **DOMINVS** ad Iosua, Fac tibi cultros lapideos, & iterum circumcide filios Israël. Fecit itaq; Iosua sibi cultros lapideos, & circumcidit filios Israël in colle præputiorum.

Et hæc causa est, propter quam Iosua circumcidit vniuersum populum, qui ex Aegypto exierat, masculos videlicet. Nam omnes viri bello idonei mortui fuerant in deserto in via, postquam egressi fuerant ex Aegypto. Etenim omnis populus qui tunc exierat erat circumcissus. At omnis populus natus in deserto, in via, cum exirent ex Aegypto, non erat circumcissus. Nam filij Israël vagati sunt quadraginta annos in deserto, donec totus populus bellatorum, qui ex Aegypto exierant, perirent, quia voci **DOMINI** non obediuerant, sicut etiam **DOMINVS** iurauit eis, quod non visuri essent terram, quam **DOMINVS** iuramento patribus ipsorum promiserat affirmans se nobis datu-

Justinus Martyr in colloquio cum Tryphone interpretatur hunc locum allegorice de petra Christo, qui circumcidit nos circumcissione nõ manu facta, & fundit fontes quibus redditur nobis vita æterna.

daturum esse terram manantem lacte & melle. Horum filios succedentes in locum parentum, circumcidit Iosua, quia habebant præputia, nec fuerant in via circumcisi. Et cum totus populus circumciscus esset, manserunt ibi in castris donec sanarentur. Et DOMINVS dixit ad Iosua, Hodie abstuli à vobis probrum Aegyptiorum, & locus ille appellatus est Gilgal ad hunc usque diem.

Cum igitur castra posuissent filij Israël in Gilgal, celebrarunt pascha die *χρονολογία.* decimo quarto mensis ad vesperam in planicie Iericho. Et comederunt de frugibus terræ secundo die paschatis, videlicet panes infermentatos & spicas tostas, illo ipso die.

Et Manna defecit altero die, quo comdebant fruges terræ, nec amplius habebant filij Israël Manna, sed comederunt fruges terræ Canaan eodem anno natas.

Cum autem Iosua non procul abesset à Ieri-

Sic ministerium Euangelii cessabit in vita æterna, ut dicitur 1. Cor. 13. Prophetiæ abolebuntur, & 2. Pet. 1. Attendite prophetico sermone, donec exoriatur lucifer in cordibus vestris. Apoc. 22. Non egent lumine lucernæ, quia Dominus Deus illuminat illos.

Iericho, leuauit oculos suos & vidit, & ecce vir coram eo stabat habens in manu strictum ensen, Et Iosua accessit ad eum & dixit ad eum, Noster ne es an hostium nostrorum? Ille vero respondit, Non, sed ego sum princeps exercitus DOMINI, & nunc veni. Et procidens Iosua in faciem suam super terram & adorans dixit ei, Quid dicit dominus meus seruo suo? Et princeps exercitus DOMINI dixit ad Iosua, Exue pedes tuos calceis, quia locus, in quo stas, sanctus est. Et fecit Iosua quod imperatum fuerat.

C A P V T V I.

Argumentum.

HISTORIA de capta Iericho est imago inchoationis & consummationis regni Christi. Ut enim solo cantu tubarum expugnatur Iericho: Ita filius Dei per ministerium Euangelij colligit sibi ex genere humano eternam Ecclesiam, & destruit opera Diaboli, peccatum & mortem in credentibus. Deinde ut sonantibus tubis in ruinam precipitantur muri Iericho, sic in postrema mundi die similis ruina

lis ruina & mutatio totius nature rerum sonitum tubæ sequetur. Vere autem Cyprianus in sermone de mortalitate exclamat: Quanta pectoris magnitudo est, quanta sublimitas inter ruinas humani generis stare erectum. Ut igitur in excidio Hiericuntis Rahab concessu Iosue manet incolumis: sic Ecclesia inter horrendos fragores mundi collabentis & conflagentis beneficio Iesu Christi viuet iuxta promissionem dulcissimam: Ego uiuo & vos uiuetis. Item: Sicut ego uiuo propter patrem, sic vos uiuetis propter me, id est, meo merito & mea efficacia.

T E X T V S.

Iericho autem erat clausa & probe munita coram filiis Israël, nec poterat quisquam egredi aut ingredi. **DOMINVS** vero dixit ad Iosuem, Ecce tradidi Iericho vnà cum rege & bellatoribus eius in manum tuam. Omnes bellatores circumeant ciuitatem semel, & hoc modo facies sex diebus.

E bus.

bus. Septem vero sacerdotes sumant septem tubas Iubilei coram arca, & die septimo septies circumite ciuitatem, & sacerdotes canant tubis. Et quando extendetur sonitus cornu iubilei, & audieritis vocem tubæ, vniuersus populus magnum clamorem militare excitabit, & corruent muri ciuitatis, & populus ascendet per eos vnusquisq; coram se.

Vocauit ergo Iosua filius Nun sacerdotes & dixit ad eos, Gestate arcam fœderis, & septem sacerdotes gestent septem tubas Iubilei ante arcam DOMINI. Ad populum vero dixit, Ite & circumite ciuitatem, & qui armatus est antecedit arcam DOMINI. Hæc cum dixisset Iosua populo, gestabant septem sacerdotes septem tubas Iubilei ante arcam DOMINI, & euntes tubis canebant, Et arca fœderis DOMINI sequebatur eos, & qui armatus erat antecedebat sacerdotes, qui tubis canebant, & promiscua multitudo sequebatur arcam & tubis canebat. Iosua vero præcepit populo dicens, Non excitabitis clamorem militare, nec vllam vocem sonabitis, nec verbum ore vestro

vestro edetis vsq; ad illum diem, quo dixerō vobis, Excitate clamorem militarem. Tunc excitabitis clamorem militarem.

Circumiuit itaq; arca DOMINI ciuitatem semel, & redeuntēs in castra ibi manserunt. Nam Iosua solebat mane surgere, & sacerdotes gestabant arcam DOMINI. Et septem sacerdotes gestabant septem tubas iubilei ante arcam DOMINI, & euntes tubis canebant, & qui armatus erat antecedebat eos, & promiscua multitudo sequebatur arcam DOMINI & canebat tubis. Altero die etiam semel circumibant ciuitatem, & redibant in castra. Hoc modo fecerunt sex diebus.

Die vero septimo, cum aurora lucem spargeret, mane surgebant, & eodem modo septies circumibant ciuitatem, ac tantum illo die septies circumierunt ciuitatem. Ac septima vice cum sacerdotes tubis canerent, dixit Iosua ad populum, Excitate clamorem militarem, Nam DOMINVS tradidit vobis ciuitatem. Sed hæc ciuitas & quicquid in ea est anathema DOMINO erit.

Anathema significat rem deuotam,

E 2

Sola

Sola vero meretrix Raab viuet, & omnes qui in eadem domo sunt, quia abscondit nuncios, quos misimus.

Diligenter etiam caute ab anathemate, ne vobis anathema accersatis, si partem anathematis acceperitis, & castra Israël anathemate oneratis, eaque turberitis. Omne vero argentum & aurum, una cum vasis æneis & ferreis **D O M I N O** sanctificabitur, ut in thesauro **D O M I N I** reponatur.

Excitauit ergo populus clamorem militare, & cecinit tubis. Cum enim populus sonitum tubæ audiret, excitabat magnum clamorem militare. Et muri corruerunt, & populus ascendit in ciuitatem unusquisque coram se. Hoc modo

ac destinatum exitio & morti.

Sic inde vsque ab initio deletis regnis excerpfit Deus & seruauit exiguam multitudinem, ut deleta Ierosolyma & dissipata gente Iudaica excerptæ sunt reliquæ prædicatione apostolorum, & postea dilacerato imperio Romano ciuilibus & Barbaricis bellis, tamen Ecclesia collecta est, & nunc tristissimi regnorum motus & excidia sunt pœnæ fatales mundi, inter quas tamen Deus excerpfit Ecclesiam.

Ebræos II. Fide mœnia Iericho cõciderunt, circumdata ad dies septem.

expu-

expugnarunt ciuitatem, & anathemate percusserunt quicquid erat in ciuitate acie gladij tam viros quàm fœminas, iuuenes & senes, boues, oues & asinos.

Iosua vero dixit ad duos viros, qui terrã explorauerant:

Ite in domum meretricis, & inde educate mulierẽ cum omnibus quæ habet, sicut iurastis. Et ingressi sunt iuuenes exploratores, & eduxerunt Rahab vnã cum patre & matre eius & fratribus, & omnia quæ habebat, & totam familiam eius, & relinquebant eos extra castra Israël.

Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

Rahab non tantum fit socia populi Dei, sed etiam a Salmon filio Nahasson in matrimonium ducitur, & recensetur in Genealogia Christi Matthæi 1.

Ciuitatem vero flammis perdiderunt, & quicquid in ea erat. Argentum autem & aurum, & vasa ænea atq; ferrea reposuerunt in thesauro domus DOMINI. Rahab vero meretrix vnã cum domo paterna & omnibus quæ habebat concessu Iosua viuebat, & habitauit in Israël vsq; ad hunc diem, quia absconderat nuncios, quos Iosua ex-

E 3 ploran-

plorandi causa in Iericho miserat.

Illo tempore iuravit Iosua dicens, Maledictus sit vir coram DOMINO, qui hanc ciuitatem Iericho instaurat & ædificat. Si iecerit fundamenta eius, (moriatur) primogenitus eius, & si collocauerit portas eius (moriatur) filius eius natu minimus. Sic ergo DOMINVS aderat Iosua, vt de eo fama spargeretur in omnibus terris. Celebritas Iosue.

C A P V T V I I.

Argumentum.

IN HOC capite duo sunt loci precipui. Prior est imago Ecclesie. Alter testimonium de prouidentia Dei, cuius oculi aspiciunt & palpebre probant filios hominum. Omnia tunc letitie, gratulationum & bone spei plena erant, cum vrbs Iericho nulla vi adhibita caperetur. Per Deo gratias agebant, quod in terram patribus promissam introducti essent, celebrabant Mosen & Iosua, qui suo ministerio seruauerant populi reliquias. Erat iunioribus dulce videre maiorum patriam. Hæc gaudia etiam Iosue labores leniebant. Sed vide imaginem Ecclesie. Hæc tanta gaudia

dia sequitur tristissimus luctus. Nam Israëlite conijciuntur ab hostibus in fugam, & propter unius scelus minatur Deus se deinceps non affuturum esse populo. Hic Iosua in quanto luctu fuerit, nemo satis explicare potest. Dolebat à Cananeis contumelia affici nomen Dei. Precipue vero excruciabatur Israëlitarum imbecillitate, quorum multi iam nullam spem esse occupande terre Canaan, & frustra sibi verba dari à Iosua dicebant. Hec est Ecclesie imago, quam Deus vult & exerceri afflictionibus, & fide expectare liberationes. Deinde intuentes in exemplum Achan, cogitemus de iudicio Dei vindicis scelerum, & maiore diligentia caueamus, ne offendamus Deum, aut perpetremus displicentia Deo, non blandiamur aut adulemur nobis opinione & spe occultationis perpetuae, nec callide sopita latitura speremus in perpetuum.

TEXTVS.

Filij vero Israël prauaricati sunt in anathemate. Nam Achan filius Charmi filij Sabdi, filij Serah de tribu Iuda acce-

Prudentius in Psychomachia Auaritiae & Miserationis:

Viderat & Iericho ppria inter funera, quantum

E 4 pit ali-

pit aliquid de anathemate. Ideo exarsit ira DOMINI aduersus filios Israëli.

Cum igitur Iosua mitteret viros ex Iericho in Ai, quæ sita est iuxta Bethauen versus ortum è regione Bethel, & diceret ad eos, Ascendite & lustrate terram, cumq; ascendissent & lustrassent Ai, redierunt ad Iosua, & dixerunt ad eum, Non ascendant vniuersus populus, sed circiter duo aut tria millia virorum ascendant, vt percutiant Ai, ne totus populus ibi defatigetur, quia numero exigui sunt.

Ascenderunt ergo ex populo circiter tria millia virorum, & hi in fugam versi sunt à ciuibus Ai, qui quidem percusserunt Israëlitas circiter triginta sex, & persecuti sunt eos à porta vsq; ad Sebarim, & in descensu percusserunt eos. Ibi contabuit cor populi, & factum est sicut aqua.

Iosua vero scidit

Posset nostra manus, cum victor cōcidit Achan

Cædib. insignis, murali & strage superbus,

Succubuit capto victis ex hostibus auro :

Dum vetitis insigne legens anathema fauillis

Mæsta ruinarum spolia infatiabilis hausit.

Semper nouæ pro-
vesti-

vestimenta sua, & cecidit in faciem super terram coram arca DOMINI vsq; ad vesperam vnà cum senioribus Israël, & capita sua puluere consperferunt. Et Iosua dixit, Ah DOMINE Deus, Quare traduxisti hunc populum per Iordanē,

*Precatio Iosue
plena ardentissimo
rum affectuum.*

vt nos traderes in manus Amoræorum & nos perderes? Vtinam mansissemus trans Iordanem, sicut cœperamus, Ah mi DOMINE, Quid dicam, cum Israël hostibus suis tergum obuertat? Si hoc audierint Cananæi & omnes incolæ terræ, obsidione cingent nos, & nomen etiam nostrum delent de terra, Et *וָאֵלֶּיךָ* vehemens. quid facies nomini tuo magno?

Dixit autem DOMINVS ad Iosua, Surge, quare sic procumbis in faciem tuam? Israël peccauit & violarunt fœdus meum, quod præcepi eis. Præterea acceperunt partem anathematis, & furati sunt & negarunt, & inter vasa sua reposuerunt. Filij Israël non poterunt sese opponere hostibus suis, sed obuertent eis terga, quia sunt anathe-

E 5

mata.

mata. Deinceps non affuturus sum vobis, nisi anathema ex vobis deleueritis.

Surge & sanctifica populū dicens, Sanctificate vos in crastinum, Sic enim dicit **DOMINVS** Deus Israël, Est anathema in te Israël. Ideo non potes resistere hostibus tuis, donec à vobis anathema remoueritis. Et mane huc accedetis vna tribus post aliam, & tribus illa quam deprehenderit **DOMINVS**, propius accedet seruato ordine familiarum, Et familia quam deprehenderit **DOMINVS**, propius accedet seruato ordine domorum, Et domus quam deprehenderit **DOMINVS**, propius accedet seruato ordine dominorum. Et qui deprehensus fuerit in anathemate, is flammis comburetur cum omnibus quæ habet, quia foedus **DOMINI** violauit & stultitiam perpetravit in Israël.

Surgens itaq; mane Iosua adduxit Israëlem seruato ordine tribuum, & depre-

Anathema est talis res, quæ nisi tollatur, totas gentes polluit, & iram Dei aduersus totas gentes irritat, vt Oedipus est anathema, quia matrem duxit vxorem. Sic Achan est anathema, quia partem spoliolum Deo consecratam rapuit.

deprehensa est tribus Iuda. Et cum adduxisset familias Iuda,prehensa est familia Serahitarum. Et cum adduxisset familiam Serahitarum seruato ordine dominorum,prehensus est Sabdi, & cum adduxisset singulos patresfamilias in illa domo,prehensus est Achan filius Charmi filij Sabdi, filij Serah, de tribu Iuda.

Quis non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem Deum? Cic. 1. de N. deo.

Et Iosua dixit ad Achan, Fili mi, da gloriam DOMINO Deo Israël, & tribue ei laudem, & indica mihi, quid feceris, & non vtere occultatione. Respondens vero Achan Iosua dixit, Omnino peccaui DOMINO Deo Israël, & hoc feci. Videbam inter spolia pallium Babylonicum magni precij, & ducentos siclos argenti, & vnã linguam auream, cuius pondus erat quinquaginta siclorum, & hæc expetita accepi, & ecce abscondita sunt in terra in tabernaculo meo, & ar-

Cic. pro Quintio: Nullum est officium tam sanctum atque solene, quod non auaritia comminuere atque violare soleat.

& argentum sub ijs abdite latet.

Et misit Iosua nuncios, qui recto cursu contenderunt ad tabernaculum, & ecce abscondita erant in tabernaculo eius, & argentum sub ijs latebat. Et accepta ex tabernaculo attulerunt ad Iosua, et ad omnes filios Israël, & effuderunt coram DOMINO.

Res sacra furto ablata ac polluta tabernaculo restituitur, & denuo expiata consecratur.

Iosua igitur & vniuersus Israël cum eo deprehendit Achan filium Serah vnà cum argento, pallio, & aurea lingua, præterea filios & filias eius, boues & asinos & oues eius, tabernaculum eius & quicquid habebat, & abduxerunt ea in vallem Achor. Et Iosua dixit, Quia turbasti nos, turbet te DOMINVS hoc ipso die, & totus Israël obruit eum saxis, & combusserunt eos igne, Et cum lapidassent eos, excitauerunt super eum ingentem lapidum aceruum, qui manet vsq; ad hodiernū diem. Et auersus est DOMINVS ab æstu iræ suæ. Ideo locus ille appellatur vallis Achor ad hunc vsq; diem.

Vallis Achor.

Hoc exemplum moueat cæteros, ne spe occultationis simile quid tentent.

CA-

CAPVT VIII.

Argumentum.

QVEM ADMODVM in natura sunt vices dierum & noctium, serenitatis & pluuie, aestatis & hyemis: Ita in Ecclesia Deus post tempestatem reddit tranquillitatem, & post lachrymas letitiam. Huius vicissitudinis illustre exemplum est Iosua. Antea enim fuerat in luctu, squalore, mesticia propter autorem anathematis. Nunc vero letatur propter consolationem diuinam, & propter testimonium presentie Dei exhibitum in praelio. Congruit igitur historia huius capituli ad Psalmum tricesimum, Conuertisti planctum meum in gaudium, & concidisti saccum meum & circumdedisti me leticia, Ut cantet tibi gloria mea & non sileat, Domine Deus meus in eternum confitebor tibi. Letus enim pro victoria gratias agit, & Deuteronomium audiente vniuerso populo Israël recitari iubet, ut ostendat Ecclesiam seruari cum verbo diuinitus tradito & propter verbum.

TEXTVS.

ET dixit DOMINVS ad Iosua,
Noli timere & angi animo. Ad-
iunge

iunge tibi vniuersum populum bello idoneum, & surgens ascende in Ai, Ecce ego regem Ai vnà cum populo eius & ciuitate & terra tradidi in manum tuam. Et facies Ai & regi eius, sicut fecisti Iericho & regi eius, nisi quod spolia & iumenta eius inter vos diuidetis. Sed colloca insidias vrbi post eam.

Surrexit itaq; Iosua & vniuersus populus manu promptus, vt ascenderent contra Ai. Et Iosua elegit triginta milia virorum fortium, & misit eos noctu, & præcepit eis dicens: Ecce vos collocabitis insidias vrbi post eam. Sed non procul recedatis à ciuitate, & eritis omnes parati. Ego vero & vniuersus populus mihi adiunctus propius accedemus ad ciuitatem, Ac si obuiam nobis iuerint, sicut antea, fugiemus eos, vt egressi nos sequantur, & à ciuitate auellantur. Cogitabunt enim nos fugere sicut antea. Et dum nos fugimus, erumpetis ex insidijs & urbem occupabitis. Nam

Quanquam promissa erat victoria: tamen vtuntur stratagemate. Peccant igitur & tentant Deum, qui non vtuntur medijs concessis.

DOMI-

DOMINVS Deus vester tradet eam in manus vestras. Cum autem urbem occupaueritis, igne eam inflammabitis, & facite congruentia verbo DOMINI, Ecce ego præcepi vobis.

Misit igitur illos Iosua, qui abeuntes insidias collocarunt inter Bethel & Ai è regione Ai versus occasum. Iosua vero mansit noctu cum populo, & mane surgens ordinavit populum, & ascendit cum senioribus Israël antecedens populum contra Ai. Et vniuersus populus militaris ipsi adiunctus ascendit, & propius accedentes venerunt in conspectum ciuitatis, & castra posuerunt versus Septentrionem è regione Ai, vt tantum vallis interiecta esset inter ipsum & Ai. Elegerat autem circiter quinque millia virorum, quos collocauerat in insidijs inter Bethel & Ai versus occasum respectu Ai. Et disposuerunt populi castra, quæ erant versus Septentrionem, vt postrema eorum pars pertingeret ad partem occidentalem vrbis. Et Iosua eadem nocte abiit in vallem.

Cum autem rex Ai hæc videret, festinantes surrexerunt mane, atque egressi sunt

si sunt viri ciuitatis vt obuiam irent
 Israël, & cum eo congregarentur tam
 ipse quam omnis populus eius statuto
 tempore in planicie. Nesciebat enim
 sibi insidias collocatas esse post urbem.
 Iosua vero & totus
 Israël hanc speciem
 præ se ferebant quasi
 cladem ab eis acce-
 pturi essent, & fugie-
 bant per viam ducentem ad desertum.
 Clamauit ergo totus populus in ciuita-
 te, Persequimini eos. Et persecuti sunt
 Iosua, & auulsi sunt à ciuitate, nec
 ullus vir mansit in Ai & Bethel, qui non
 egressus esset ad persequendos Israëli-
 tas, & reliquerunt ciuitatem apertam,
 vt possent persequi Israël.

Non semper vti-
 le est claram veri-
 tatis faciē ostende-
 re, vt ait Pindarus.

Et dixit DOMINVS ad Iosua, Ex-
 tende hastam in manu tua versus Ai,
 quia tradam eam in manum tuam. Cum
 itaq; Iosua extenderet hastam in manu
 sua versus ciuitatem, eruperunt insidia-
 tores magna celeritate ex suo loco &
 cursum direxerunt ad signum quod
 manu extensa dabatur, & venientes in
 ciuitatem occuparunt eam, & festinan-
 tes flammis eam perdiderunt. Et viri
 Ai con-

Ai conuersi respexerunt, & viderunt fumum ciuitatis ascendentem in cœlum, nec habebant facultatem fugiendi huc aut illuc, & populus qui fugerat ad desertum, conuertit se vt persequeretur illos.

Cum enim Iosua & totus Israël viderent, urbem ab insidiatoribus captam esse, ascendente fumo ciuitatis, conuersi percusserunt viros Ai. Et qui in ciuitate erant etiam eis obuiam processerunt, vt essent in medio Israël inter acies vtrinque oppositas, & percusserunt eos donec nemo ex eis superstes esset, aut effugere posset. Et regem Ai viuum prehensum adduxerunt ad Iosua. Et cum Israël omnes incolas Ai interfecisset in campo & in deserto, qui ipsos persecuti fuerant, & omnes acie gladij cecidissent, donec omnes interirent, conuertit se Israël ad Ai, & percusserunt eam acie gladij. Et omnes qui illo die ceciderunt tam viri quam foeminae erant duodecim millia omnes ciues Ai.

Iosua vero non retraxit manum suam, qua hastam extenderat, donec anathemate percuterentur omnes incolæ

F

Ai. Sed

Ai. Sed pecora & spolia vr̄bis diuidebant inter se Israēlitæ iuxta verbum DOMINI, quod Iosua præceperat. Et Iosua perdidit flammis Ai, & redegit eam in aceruum perpetuum & in solitudinem, quæ adhuc hodie durat. Et regem Ai iussit suspendi ex arbore, usque ad vesperam. Post occasum vero Solis præcepit vt cadauer ex arbore tolleretur, quod quidem abiecerunt in portam ciuitatis, & obruerunt id ingenti aceruo lapidum, qui durat ad hunc usq; diem.

Aedificauit ergo Iosua DOMINO Deo Israël altare in monte Ebal (sicut Moses seruus DOMINI præceperat filijs Israël, vt scriptum est in libro legis Mosi, Altare ex integris lapidibus, qui nullo ferro violati sunt) & obtulit in eo DOMINO holocausta & hostias pacificas. Et ibi inscripsit lapidibus secundam legem quam Moses filijs Israël præscripserat.

Et totus Israël vnâ cum senioribus suis & præfectis ac iudicibus, stabant ex vtroq; latere arcæ coram sacerdotibus leuiticis, qui gestabant arcam fœderis DOMINI, tam peregrini quàm indigenæ,

digenæ, dimidia pars iuxta montem Garisim, & reliqua pars dimidia iuxta montem Ebal, sicut Moses seruus D O M I N I antea præceperat, vt benedicerent populo Israël. Postea iussit voce præconis pronounciari omnia verba legis pertinentia ad benedictionem & ad maledictionem, sicut scripta sunt in libro legis. Nullum erat verbum, quod Moses præceperat, quod Iosua non curasset publica voce pronounciari coram tota congregatione Israël, & coram mulieribus & paruulis & peregrinis, qui inter eos versabantur.

C A P V T I X.

Argumentum.

Iosua seruauit Gabaonitas, cum lex diuina iussisset omnes Cananeos deleri, vt Deuteronomij vicesimo scriptum est. Quamquam enim deceptus erat, & propter errorem iuramentum videbatur esse irritum: tamen non mutat promissa, sed antefert iuramenti reuerentiam mandato, in quo ipso tamen sciebat hanc interpretationem comprehensam esse, vt parceretur supplicibus, sicut expresse scriptum est Deuteronomij 20. Præ-

F 2

terea

terea & omnium gentium, in quibus mediocris cura fuit iuste gubernationis, mos fuit parcere supplicibus, ut in versu dicitur: Non violandus erit supplex sacer esse putetur. In hoc honestissimo more etiam Deus imaginem suae clementiae proposuit. Vult parci supplicibus, id est, ijs qui agnoscunt culpam, & offerunt se ad poenam, & petunt mitigationem. Hoc commune ius supplicum violare turpissimum fuisset duci eius populi, qui vnicus in terris erat populus Dei, & praecipue intelligebat & colebat iusticiam & alias virtutes.

T E X T V S.

HAEC cum audissent omnes reges, qui erant trans Iordanem in montanis & in vallibus & in omni portu maris magni, & qui libanum accolunt, videlicet Hitthæi, Amoræi, Cananæi, Pherisæi, Hiuæi, & Iebusæi, vnum in locum congregati sunt, vt pugnarent cum Iosua & Israël.

Ciues vero Gibeon, cum audiissent quid fecisset Iosua Iericho & Ai, excogitarunt callidum consilium, & euntes miserunt legatos ad Iosua, & imposuerunt asinis suis veteres faccos, & vete-

veteres detritos ac fartos vini vtres, & veteres ac fartos calceos pedibus circumdederunt, & induerunt vetera vestimenta, & omnes panes quos secum asportabant erant duri & mucidi. Et accesserunt ad Iosua, qui erat in castris Gilgal & dixerunt ad eum & ad totum Israël. Venimus ex longinqua terra. Facite ergo fœdus nobiscum. Et dixit totus Israël ad Hiuxum, Fortasse habitas inter nos. Quomodo igitur possum fœdus tecum constituere?

Illi vero dixerunt ad Iosua, Nos sumus serui tui. Iosua respondit eis, Qui estis, & vnde venitis? Illi dixerunt, Serui tui ex terra longe remota venerunt, propter nomen DOMINI Dei tui. Nam audiimus famam de eo, & de omnibus quæ fecit in Aegypto, & de omnibus quæ fecit duobus regibus Amoræorum trans Iordanem, Sihon regi Hesbon, & Og regi Basan, qui habitabat in Astaroth. Quamobrem dixerunt seniores nostri & omnes incolæ regionis nostræ, Instruite vos comitatibus ad profectiorem, & ite eis obuiam ac dicite ad eos, Nos sumus serui vestri. Facite ergo nobiscum fœdus.

dus. Hic panis noster, quem exportauimus ex ædibus nostris tanquam alimentum nostrum erat adhuc recens, cum proficisceremur ad vos, Nunc autem vt vides est durus & mucidus. Et hos vtres adhuc novos impleuimus, & ecce lacerati sunt. Et hæc vestimenta nostra atq; calcei inueterarunt in tam longa peregrinatione. Et acceperunt præfecti illorum commeatus, nec interrogauerunt os DOMINI. Et Iosua fecit pacem cum eis, & constituit cum eis fœdus, vt manerent superstites, & iurarunt eis principes congregationis.

Post triduum vero ex quo fœdus cum eis fecerant, audierunt eos esse vicinos, & vnâ habitaturos esse. Nam filij Israël vltius progressi tertio die peruenierunt ad ciuitates eorum, quæ vocabantur Gibeon, Caphira, Beëroth & Kiriath Iearim, nec percusserunt eos, quia principes cōgregationis iura-
Iurifurandi religio.
 uerant eis per DOMINUM Deum Israël.

Cum autem vniuersa congregatio murmuraret contra principes, dixerunt omnes principes totius congregationis

gationis, Nos iurauimus eis per D O M I N V M Deum Israël. Ideo non possumus impetum in eos facere. Sed hoc faciemus, Concedite eis vitam, ne ira in nos irruat propter iuramentum quo obligati sumus. Et principes dixerunt ad eos, Concedite eis vitam, vt sint lignorum sectores & aquæ gestatores pro tota congregatione, sicut principes ad eos locuti sunt.

Vocauit ergo eos Iosua & locutus est cum eis, Quare decepistis nos, & dixistis, Nos procul à vobis absumus, cum tamen inter nos habitetis? Ideo eritis maledicti, ne vnquam inter vos deficient serui ligna secantes & aquam gestantes ad domum Dei mei. Illi vero respondentes Iosua dixerunt, Indicatum est seruis tuis, quod D O M I N V S Deus tuus Mosi seruo suo præcepit, se vobis daturum esse totam terram & deleturum coram vobis omnes incolas terræ. Metuentes ergo vitæ nostræ à vobis hoc fecimus. Ecce autem nunc sumus in manu tua. Quicquid videbitur bonum & rectum, id facias nobis.

Vox supplicum.

F 4

Et fe-

Et fecit eis sic, & eripuit eos ex manibus filiorum Israël, ne interficerent eos. Hoc modo fecit eos Iosua illo die lignorum sectores & aquæ gestatores congregationi & altari DOMINI ad hunc usque diem in eo loco quem electurus erat.

C A P V T X.

Argumentum.

PRIMVS locus huius capituli est testimonium de libertate Dei opponendum Stoicis. Si enim Deus alligatus esset causis secundis, non potuisset dispensare de ordine nature, sed ita Iosue precanti hunc in modum respondisset: Tu vero frustra consumis tempus & verba, dum mihi supplicas. Non enim ea que tu postulas, in manu mea est tribuere, legibus definitis prefixisque vado, nec minore premor necessitate in agendo, quam tu in patiendo. Si que largiar proderunt tibi, utere, Sin secus, fer tu necessitatem tuam equo animo, sicut ego fero meam magno. O sortem natura & maiestate Dei indignam. Sed non est Deus numen Parcarum carcere clausum, Quale putabatur Stoicus esse Deus. Ille potest Solis currus inhibere volantes, Ille velut scopulos

pulos flumina stare iubet. **SECUNDVS** locus est ipsa magnitudo miraculi. Nam Iosue dimicanti contra quinq; reges, qui Gabaonitas oppugnabant, Sol & Luna, hoc est, omnium stellarum orbes, concitatissimo, quo circumaguntur, motu inhibito & fixo diuinitus, subite consistunt. Hac & similia miracula Ecclesie prorsus impossibilia sunt Diabolo. **TERIVS** locus est exemplum quod declarat quanta sit vis & efficacia pie precatationis. Obediuit enim Dominus voluntati hominis, & ordinem nature mutauit propter preces Iosue. **POSTREMVS** locus est imago victoriae & triumphus Christi. Sicut enim Iosua pedibus conculcauit reges à se captos: ita filius Dei contriuit caput serpentis, siue ut Iohannes ait, destruxit opera Diaboli, & donat nobis victoriam suam iuxta illud, Deo sit gloria danti nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

T E X T V S.

CV M autem Adonizedec rex Ierusalem audiret, quod Iosua Ai expugnasset & anathemate percussisset, & Ai vna cum rege eius fecisset, sicut fecerat Iericho & regi eius, & quod

F 5

Gaba-

Gabaonitæ pacem fecissent cum Israël,
& versarentur inter eos, vehementer
consternati sunt, (Nam Gibeon erat
magna ciuitas similis regia vrbi, &
maior quam Ai, & omnes ciues eius
erant manu prompti) misit ad Hoham
regem Hebron, & ad Piream regem
Iarmuth, & ad Iaphia regem Lachis, &
ad Debir regem Eglon, & iussit eis
nunciari, Ascendite ad me & ferte mihi
opem, vt Gibeon percutiamus, quia fe-
cit pacem cum Iosua & cum filijs Israël.

Congregati sunt
ergo & ascenderunt
quinque reges Amo-
ræorum, rex Ierusa-
lem, rex Hebron, rex
Iarmuth, rex Lachis

Nomina regū &
reliquæ circumstan-
tiæ diserte expo-
nuntur, ne quis de
veritate historiæ du-
bitet.

& rex Eglon cum vniuersis castris suis
& obsidione cinctam Gibeon oppu-
gnarunt.

Gibeonitæ vero miserunt ad Iosua
versantem in castris Gilgal & iusserunt
ei nunciari, Noli dimouere manū tuam
à seruis tuis, veni ad nos cito, libera &
opem fer nobis. Congregati sunt enim
contra nos omnes reges Amoræorum,
qui montana incolunt.

Iosua

Iosua ascendit ex
Gilgal & omnes mi-
lites cum eo & om-

Iosua noua pro-
missione confirma-
tur.

nes viri fortes. Et **DOMINVS** dixit ad
Iosuam, Noli eos metuere, quia tradi-
di eos in manum tuam. Nemo ex eis
consistet coram facie tua. Irruit ergo
Iosua subito in eos, quia tota nocte
ascenderat ex Gilgal. Sed **DOMINVS**
incussit eis pauorem coram Israël, &
magna clade eos affecerunt in Gibeon,
& persecuti sunt eos in via quæ ducit in
Bethoron, & percusserunt eos vsq; in
Aska & Makeda.

Et cum fugerent
Israëlem in via quæ
ducit in Bethoron,
immisit in eos **DO-**
MINVS grandes la-
pides è cœlo vsque
in Aska, vt interi-
rent, & multò plures
grandine perierunt,
quàm gladio interfe-
cti à filijs Israël.

In diuinis terro-
ribus etiam deorū
liberi fugiunt, se-
cundū Pindari sen-
tentiam.

Et cōpellauit Io-
sua **DOMINVM** illo
die, cum **DOMINVS**

Sic Theodosius
dimicans cum Eu-
genio & Arbogasto
diuinitus adiutus
est magnis ventorū
flatibus, qui con-
trarii erant hostib.
Quare & Claudia-
nus scripsit: Oni-
mum dilecte Deo
cui militat æther,
Et cōiurati veniunt
ad classica venti.

tradi-

tradidisset Amoræos filijs Israël, & dixit præfente Israël, Sol inhi-be cursum in Gibeon, & luna in valle Aialon. Et inhi-buit Sol cursum suum, & luna stetit, donec populus vindictã exercuiffet aduerfus hostes suos. An non hoc scriptũ est in libro iusti? Hoc modo stetit Sol in medio cœli, & totius diei spacio non properauit ad occasum. Nec fuit talis dies antea vnquam nec deinceps obedi-ente **D O M I N O** voci hominis. Nam **D O M I N V S** pugnabat pro Israël.

Iosua vero redijt in castra Gilgal & totus Israël cum eo. Sed hi reges quinq; fugerant & abdide-rant se in speluncam, quæ est in Make-da. Et cum indicatum esset Iosux, In-uenimus quinq; reges abdite latentes
in spe-

Statio & regres-
sio Solis miracula
Ecclesiæ propria.

Sicut pugnante
propheta Sol stetit,
qui tanta incita-
tione fertur, vt ce-
leritas eius quanta
fit ne cogitari qui-
dem possit: Ita dũ
saluator noster mor-
te sua mortem dis-
solueret, sol meri-
die continuit radi-
os suos, & tenebris
repleuit terram,
Theodoretus quæ-
stione 13. in Iosu-
am.

Psal. 146. Volun-
tatem timentium se
faciet, & depreca-
tionem eorum ex-
audiet & saluos fa-
ciet eos.

spelunca quæ est in Makeda, dixit Iosua, Voluite saxa ingentia ad orificium speluncæ, & collocate ad eam viros, qui custodiant illos. Vos autem non consistite, sed persequimini hostes vestros, & percutite extremum agmen, nec finite eos ingredi in ciuitates suas. Nam **DOMINVS** Deus vester tradidit eos in manus vestras. Et cum Iosua & filij Israël finem imposuissent huic maximæ cladi hostium, in qua plurimos deleuerant, reliquiæ eorum venerunt in vrbes munitas.

Et redijt vniuersus populus in castra ad Iosuaam versantem in Makeda cum pace, nec quisquam audebat coram filijs Israël linguam mouere. Iosua vero dixit, Aperite orificium speluncæ, & educite ad me quinque reges. Huic mandato obtemperantes eduxerunt ad eum quinque reges ex spelunca, regem Ierusalem, regem Hebron, regem Iarmuth, regem Lachis, regem Eglon.

Cum autem eduxissent quinque reges ad Iosuaam, vocauit Iosua vniuersum Israëlem, & dixit ad capitaneos militum, qui ductum ipsius sequebantur, Accedite propius & pedibus vestris concul-

conculcate colla istorum regum. Et accedentes propius conculcarunt pedib. colla eorum. Et Iosua dixit ad eos, Nolite expauescere & animum demittere, sed sitis magno & excelso animo. Sic enim faciet **D O M I N U S** omnibus hostibus vestris, contra quos pugnatis.

Imago victoriae Christi exuētis diaboloꝝ principatu & potestate & conculcantis eos sub pedibus nostris.

Et postea percussit eos Iosua & occidit eos, & iussit eos ex quinque arboribus suspendi. Et suspensi fuerunt ex arboribus vsq; ad vesperam. Post solis vero occasum præcepit, vt tollerentur ex arboribus, & abijcerentur in speluncam, in qua latebras quæsiuerant. Et admouerunt orificio speluncæ ingentia saxa, quæ ibi manent ad hunc vsq; diem.

Eodem die expugnauit etiam Iosua Makeda, & percussit eos acie gladij, & regem eorum, & anathemate percussit eos, & omnes animas, quæ in ea erant, & nemini vitam concedebat, & faciebat regi Makeda, sicut fecerat regi Iericho.

Makeda.

Et pro-

Et progressus est Iosua & vniuersus
 populus cum eo ex Libna.
 Makeda in Libna &
 pugnabat contra eos. Et DOMINVS
 etiam hos tradidit in manum Israël,
 cum rege ipsorum. Et percussit eos
 acie gladij, & omnes animas, quæ in ea
 erant, & neminem sinebat esse supersti-
 tem. Et faciebat regi ipsorum, sicut fe-
 cerat regi Iericho.

Postea profectus est Iosua & totus
 Israël cum eo ex Lib- Lachis.
 na in Lachis, & ob-
 sidione cinctam oppugnabant. Et D O-
 MINVS tradidit etiam Lachis in ma-
 num Israël, vt altero die expugnarent
 eam, & percusserunt eos acie gladij,
 & omnes animas quæ in ea erant, ea-
 dem ratione qua fecerat Libna. Eo
 tēpore ascendit Ho- Horam.
 ram rex Geser vt o-
 pem ferret Lachis. At Iosua percussit
 eum cum vniuerso populo eius donec
 nullæ essent cladis reliquiæ.

Et Iosua profectus est cum vniuer-
 so Israël ex Lachis Eglon.
 in Eglon, & obfi-
 dione cinctam non solum oppugnauit
 sed et-

sed etiam expugnauit eodem die, & percussit eos acie gladij, & anathemate percussit omnes animas, quæ in ea erant, eodem die non aliter quàm fecerat Lachis.

Postea ascendit Iosua cum vniuerso Israël in Hebron, & non solum oppugnauit sed etiam expugnauit eam, & percussit eos acie gladij & regem eius atq; omnia oppida eius, & omnes animas in eis versantes, nec quenquam sinebat esse superstitem, non aliter quàm fecerat Eglon, & anathemate percussit eos & omnes animas in ea versantes.

Et reuersus est Iosua & vniuersus Israël cum eo in Debir, & oppugnatam cepit vnà cum rege eius & omnia oppida eius, & percusserunt eos acie gladij, & anathemate percusserunt omnes animas in ea versantes, & non sinebat quenquam esse superstitem. Sicut fecerat Hebron, sic etiam fecit Debir & regi eius, & sicut fecerat Libna & regi eius.

Percussit igitur Iosua vniuersam terram montanam, & meridianam, & planam

nam quoque & decliuem, cum omnibus regibus eorum, & neminem finebat esse superstitem, & anathemate percussit omne in quo erat anima, sicut DOMINVS Deus Israël præceperat. Et percussit eos à Kades Barnea usque ad Gafam, & totam terram Gosen usque ad Gibeon, & cepit omnes istos reges cum terra eorum vna vice. Nam DOMINVS Deus Israël pugnabat pro Israël. Et Iosua reuersus est in castra Gilgal cum vniuerso Israël.

CAPVT XI.

Argumentum.

FVERVNT magni viri & utiles patrie, Fabius & Scipio. Sed quanto fuissent prestantiores, si in illis tantis rebus gerendis Deum inuocassent, & sensissent adesse ducem & gubernatorem tantorum certaminum, ac victorias contulissent ad propagandam doctrinam de Deo, de Dei inuocatione, de vita eterna. Quid attinet vincere, si pacem tantum luxus, libidines, auaritia, superbia commitentur. Iure igitur anteferimus his bellatoribus nostros, Iosua, Davidem, Macabeum &

G

beum &

beum, & similes, qui in ipsis praelijs Deum inuocabant, & religionis vere tuende causa dimicabant.

T E X T V S.

HAEC cum Iabin rex Hazor audi-
uisset, misit ad Iobab regem Ma-
don, & ad regem Simron, & ad regem
Achfaph, & ad reges qui habitabant
versus septentrionem in montanis, &
in campestribus versus meridiem Cin-
neroth, & in planicie & in Naphoth
Dor iuxta mare, Cananæi versus or-
tum & occasum, Amoræi, Hitthæi,
Pherisæi, & Iebusæi in montanis, præ-
terea Hiuæi in radicibus montis Her-
mon in terra Mizpa. Hi susceperunt
expeditionem cum omnib. castris suis,
populus magnus non dissimilis arenæ
maris, & plurimi equi & currus. Om-
nes hi reges congregati venerunt &
iunxerunt castra ad aquas Merom, vt
dimicarent contra Israël.

Et **D O M I N V S** dixit ad Iosuaam,
Noli eos metuere.
Nam cras hoc ipso
tempore tradam eos
omnes occisos co-

Fide expecta bo-
nos exitus. Hac fi-
de vince angores &
fortiter seruias vo-
cationi.

ram fi-

ram filijs Israël, Equos eorum eneruabis, & currus igne combures. Et Iosua subitam impressionem in eos fecit, & omnis populus manu promptus cum eo ad aquas Merom, & irruerunt in eos, Et DOMINVS tradidit eos in manus Israël, & percusserunt atq; persecuti sunt eos vsq; ad magnam Zidon & vsq; ad calidas aquas, & vsq; ad vallem Mizpa versus ortum, & percusserunt eos donec nullæ reliquæ superstites essent.

Ac fecit eis Iosua, sicut DOMINVS ei locutus fuerat, & equos eorum eneruauit, & currus eorum combussit. Et reuersus illo tempore cepit Hazor, & regem eius gladio percussit, (Nam Hazor antea fuerat caput omnium illorum regnorum) & percusserunt omnes animas in ea versantes acie gladij, & anathemati eos subiecerunt, & nihil sinebat esse superstes, in quo erat anima, & Hazor flammis perdidit. Præterea omnes ciuitates horum regum cepit Iosua vnâ cum regib. earum, & percussit eos acie gladij, & anathemati eos subiecit, sicut Moses seruus DOMINI præceperat.

Hazor regia ciuitas Cananæorū.

Sed tamen filij Israël nullas ciuitates inflammaverunt, quæ erant sitæ in collibus, Solam autem Hazor incendit Iosua. Et omnia spolia istarum urbium & pecora diuidebant inter se filij Israël. Omnes vero homines percusserunt acie gladij, donec delerent eos, & nullas reliquias earum rerum, in quibus erat spiritus conseruabant, sicut **D O M I N V S** Mosi seruo suo, & Moses Iosua præceperat. Sic igitur fecit Iosua, ne quicquam deesset de omnibus, quæ **D O M I N V S** Mosi præceperat.

Et occupauit Iosua omnem istam terram in montanis, & omnia quæ sita sunt versus meridiem, & totam terram Gosen, & valles atq; campos, & montana Israël cum vallibus suis à montanis quæ sursum versus dirimunt terram à Seir vsq; ad Baal Gad in valle Libani in radicibus Hermon. Omnes reges earum cepit & percussit atq; occidit eos. Longo autem tempore Iosua bellum cum his regibus gessit.

Nulla autem ciuitas erat, quæ pacem coleret cum filijs Israël exceptis Hiuæis, qui habitabant in Gibeon, Itaq; omnes bello expugnarunt. Et hoc
ita

ita fiebat à D O M I-
N O, vt cor eorum in-
duraretur, & pugnan-
tes occurrerent Israë-
li, vt anathemati sub-
ijcerentur, nec eis
parceretur, sed dele-
rentur, sicut D O M I-
N V S præceperat Mofi.

Lucanus: Hoc
placet o superi cū
vobis vertere cun-
cta

Propositum no-
stris erroribus ad-
dere crimen

Cladibus irru-
mus nocituraque
poscimus arma.

Illo tempore venit Iosua & funditus
deleuit Enakim de montanis, de He-
bron, de Debir, de Anab, de omnibus
montanis Iuda, & de omnibus monta-
nis Israël, & anathemati subiecit eos
vnà cum ciuitatibus eorum, nec vllum
ex Enakim sinebat esse superstitem in
terra filiorum Israël, præterquam in
Gaza, in Geth & in Afdod. Ibi enim
manferunt aliquæ reliquæ. Occupa-
uit ergo Iosua vniuersam terram iuxta
omnia, quæ locutus fuerat D O M I N V S
ad Mosen, & distribuit eam Israëli tan-
quam hæreditatem, vnicuiq; tribui ra-
tam partem, & terra habuit respiratio-
nem à bellis.

C A P V T X I I .

G 3

Argu-

Argumentum.

Contexitur in hoc capite catalogus regum, quos Moses & Iosua vicerunt, quia in his victorijs Deus illustra testimonia suae praesentiae ostendit, & testimonia doctrinae & Ecclesiae exhibuit. Etsi enim omnes victoriae sunt opera Dei: tamen non omnes ornant doctrinam & Ecclesiam, ut Alexandri victoria Iouem Olympium inuexit, & nunc in Asia & Africa deleta Christi doctrina grassantur furores Mahometici. At Moyse & Iosue admiranda victoriae ornabant doctrinam de lege & de Messia, & proderant illius temporis Ecclesiae.

TEXTVS.

HI sunt reges terræ, quos percusserrunt filij Israël, & terram eorum occupauerunt trans Iordanem, versus Solis ortum à torrente Arnon vsq; ad montem Hermon, & omnem planiciem Orientalē. Sihon rex Amoræorum, qui habitabat in Hesbon, & dominabatur ab Aroër, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & à medio torrentis & à medietate

Sihon.

medietate

dietate Gilead vsqꝫ ad torrentem Iaboc, qui est terminus filiorum Ammon. Et à planitie vsqꝫ ad mare Cimæroth versus ortum, & vsqꝫ ad mare in planitie, videlicet vsqꝫ ad mare Salis versus ortum in via quæ ducit ad Beth Iesimoth, & à meridie ad radices montis Pisga.

Præterea terminos regis Og in Basan (occuparunt) qui reliquus erat de stirpe Rephaim, & habitabat in Astaroth & Edrei, & dominabatur monti Hermon, Salcha, & toti Basan vsqꝫ ad terminos Gesuri & Maachati & dimidiæ partis Gilead, qui erat terminus regis Sihon in Hesbon. Moses seruus DOMINI & filii Israëli percusserunt eos, Et Moses seruus DOMINI tradidit illam ad possidendum Rubenitis & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse.

Hi sunt reges terræ quos Iosua percussit & filij Israëli trans Iordanem versus occasum à Baal Gad in valle Libani montis vsqꝫ ad montem qui sursum versus dirimit terram à Seir, & quam Iosua assignavit tribubus Israëli seruatâ partium proportione, in montibus,

G 4

in val-

in vallibus, in planicie atq; in decliui loco, in deserto & in meridie (in quibus habitarunt) Hitthæus, Amoræus, Cananæus, Pherisæus, Hiūæus atq; Iebuseus. Rex Iericho, Rex Ai, quæ sita est in latere Bethel, Rex Ierusalem, Rex Hebron, Rex Iarmuth, Rex Lachis, Rex Eglon, Rex Geser, Rex Debir, Rex Geder, Rex Harma, Rex Arad, Rex Libna, Rex Adullam, Rex Makeda, Rex Bethel, Rex Thapuah, Rex Hopher, Rex Aphek, Rex Lazon, Rex Madon, Rex Hazor, Rex Simron Meron, Rex Achsaph, Rex Thaenach, Rex Megiddo, Rex Kedes, Rex Iakneam in Carmel, Rex Dor in Naphothdor, Rex gentium in Gilgal, Rex Tirza. Hi sunt reges triginta & vnus.

CAPVT XIII.

Argumentum.

Iosua successor Moysi fuit dux populi Israël annos triginta duos. Ac septem quidem annis post mortem Moysi debellauit reges Canaan triginta & vnum. Reliquis vero viginti quinque annis sorte diuisit terram filiis Is-

lys Israël. Non enim voluit Deus Iosua in uniuersa terra occupanda onerari supra vires, sed seni concessit Alcyonia. Ut enim in hyeme tegumento opus est: sic senes desiderant quietem & tranquillitatem. Repetitur autem in hoc capite distributio facta à Moyse, qui Rubenitis & Gaditis & dimidie tribui Manasse duo regna assignauit, & deserte dicitur tribum Leui non accepisse hereditatem sicut alias tribus, quod Dominus sit docentium hereditas. Hæc consolatio docentibus necessaria est, qui non florent opibus, nec sedem stabilem & domicilium certum habent. Cum enim Domini sit terra, semper daturus est aliquos nidulos studijs doctrinæ, sicut nascenti Christo dedit præsepe.

T E X T V S.

CV M igitur Iosua suam haberet senectam & multos ætatis annos confecisset, dixit ad eum **D O M I N V S**, Tu habes senectam & multos ætatis annos confecisti, & magna pars terræ adhuc restat occupanda, videlicet tota Galilæa Palæstinorum & uniuersa Gesuri, à Sihor qui Aegyptum præterlabi-

Sihor nõ est Nilus, sed is qui alio-
tur vsq̃

G 5

tur vsq; ad terminum Ekron, versus Septentrionem, quæ Cananæis annumeratur, quinque scilicet principatus Palæstinorū, Gazæus, Asdodæus, Asclonæus, Gitthæus, Ekronæus & Auæus. A meridie vero

nomine appellatur Rhinocorurus.

Hic enim dirimit Iudæam ab Aegypto, vt tabulæ ostendunt.

Quinque principes vrbes Philistiim seu Palæstinorum, Gaza, Asdod, Ascalon, Accaron, Geth.

tota terra Cananæorum, & Meara Sidoniorum vsq; ad Aphetk & vsq; ad terminum Amoræorum, Præterea terra Giblæorum, & totus Libanus versus ortum Solis, à Baal Gad sub monte Hermon, donec ventum est in Hamath. Omnes qui montana incolunt, à Libano vsq; ad calidas aquas, & omnes Sidonij. Ego expellam eos coram filijs Israël. Tantum mitte sortem super eam, vt diuidatur filijs Israël sicut præcepi tibi.

Diuide ergo hanc terram tanquam hæreditatem nouem tribubus & dimidiæ tribui Manasse. Nam Rubenitæ & Gaditæ vnà cum dimidia tribu Manasse acceperunt hæreditatem suam, quam
 Diuisio terræ facta per Mosen.
 ipsis

ipsis Moses assignauit trans Iordanem
versus ortum, sicut eam attribuit eis
Moses seruus DOMINI ab Aroër, quæ
est sita ad ripam torrentis Arnon, & à
ciuitate quæ est in medio torrentis, &
omnem regionem Medba vsq; in Di-
bon. Et omnes ciuitates Sihon regis
Amoreorum, qui habitabat in Hesbon,
vsq; ad terminum filiorum Ammon.
Præterea Gilead, & terminum Gesuri
atq; Machati, & totum montem Her-
mon, & totam Basan vsq; ad Salcha.
Totum regnum Og in Basan, qui habi-
tabat in Astaroth & Edrei, qui adhuc
reliquus erat de stirpe Rephaim. Mo-
ses vero percussit & expulit eos.

Neq; vero filij Israël expulerunt Ge-
suræum & Maachataeum, sed uterq;
habitaui inter filios Israël ad hunc vsq;
diem. Tribui vero Leui non assignabat
hæreditatem. Nam
sacrificia DOMINI Hæreditas tribus
Leui.
Dei Israël sunt hære-
ditas eius, sicut illi locutus est.

Dedit ergo Moses tribui filiorum
Ruben, iuxta famili- Ruben.
as suas, vt essent ter-
mini eorum ab Aroër, quæ est sita ad
ripam

ripam torrentis Arnon, & ciuitas quæ est in medio torrentis & tota planicies usq; ad Medba. Hesbon cum vniuersis oppidis eius, quæ sunt in planicie, Dibon, Bamoth Baal, & Beth Baal Meon. Iaza quoq; & Kedemoth, Mephaath, Kiriathaim, Sibma, Zereth Sahar, in montanis, quæ efficiunt vallem, Beth Beor, radices Pisga, & Beth Iesimoth, & omnia oppida in planicie. Et totum regnum Sihon regis Amoræorum, qui habitabat in Hesbon, quem Moses percussit vnà cum principibus Midian, Eui, Rekem, Zur, Hur & Reba, qui potentes erant Sihon terram incolentes. Bileam quoq; filium Beor diuinatorem interfecerunt filij Israel gladio vnà cum interfectis. Et terminus filiorum Ruben erat Iordanis. Hæc est hæreditas filiorum Ruben iuxta cognationes, & oppida & pagos eorū.

Tribui vero filiorum Gad iuxta familias suas dedit Moses, vt essent termini eorum Iaëser & omnes ciuitates in Gi-

Non minori pœna digni sunt qui sequuntur alterū, quàm ii qui ipsi fuerunt impietatis duces, Cic. Lælio.

Gad.

in Gilead, & dimidia terra filiorum Ammon vsq; ad Aroër, quæ est sita in conspectu Rabba. Et ab Hesbon vsq; ad Ramath Mizpe & Betonim, & à Mahanaim vsq; ad terminos Debir. In valle autem Betharam, Bethnimra, Sucoth & Zaphon, quæ reliqua erat de regno Sihon regis in Hesbon, ita vt Iordanis esset terminus vsq; ad finem maris Cinne-reth ultra Iordanem versus ortum. Hæc est hæreditas filiorum Gad iuxta familias, oppida & pagos illorum.

Dimidiæ porro tribui Manasse, iuxta familias suas dedit Moses, vt termini eorum essent à Mahanaim tota Basan, totum regnum Og regis Basan, & omnes villas Iair, quæ sunt in Basan sitæ, videlicet sexaginta oppida. Et dimidiam partem Gilead, Astaroth, Edrei, ciuitates regni Og in Basan, dedit filijs Machir filij Manasse, hoc est, dimidiæ parti filiorum Machir iuxta familias suas.

Gilead regio fuit ultra Iordanem, versus Libanum & Arabiam, postea dicta Iturea, id est, scopulosa, quod idem Græcis est *τραχανίτις*, id est, aspera.

Manasse.

Hæc

Hæc sunt quæ distribuit Moses in campestri regione Moab ultra Iordanem è regione Iericho versus ortum. Tribui vero Leui nullam hæreditatem dedit Moses. Nam

DOMINVS Deus Israël est hæreditas eorum sicut locutus est eis.

Consolatio piis doctoribus & discipulis necessaria.

CAPVT XIII.

Argumentum.

HISTORIA de Caleb congruit ad dictum Pauli, Pietas habet promissiones presentis & eterne vite. Nam Deus compensavit pietatem Caleb in hac vita magnis bonis, maiore luce & sapientia spirituali, robore fidei, consilio, consolatione, successu in gubernatione publica & domestica, pace, victu, & post hanc vitam premia aeterna ei dabit. Cum autem pietate excelleret, ceteris omnibus anteposuit urbem Hebron, in qua Abraham, Isaac & Iacob habitauerant & sepulti erant. Porro constat ex eius sermone post septennium in bellis consumtum terram à Iosua diuisam esse. Sic enim ait: Quadraginta annorum eram quando misit me Moses seruus

seruus Domini à Cades Barnea ad explorandam terram. Et nunc enutriuit me Dominus quemadmodum dixit vsq; ad hunc quadragessimum quintum annum, ex quo locutus est Dominus ad Mosén. At post sententiam Dei, aduersus sexcenta millia virorum latam triginta & octo annos transegerunt in deserto. Quare septem desiderantur anni ad conficiendum annos octoginta quinque, quod etiam prædixerat Deus per Mosén: Introducet te Dominus in terram quam promisit patribus tuis, & post septem annos recitabis hanc legem vniuerso populo. Hæc vera & erudita *ἔκδοσις*, quæ lumen affert huic toti libro, extat apud Theodoretum quest. 16. in Iosuaam.

T E X T V S.

HÆC vero sunt, Diuisio terræ facta per Iosuaam.
 quæ occuparunt filij Israëli in terra Canaan, quæ inter eos distribuerunt Eleasar sacerdos & Iosua filius Nun, & præcipui patres tribuum filiorum Israëli. Sorte vero diuiserunt inter eos (terram) sicut DOMINVS per Mosén præceperat vt daretur nouem tribubus & dimidiæ. Nam duabus & dimidiæ Mosés assignauerat hæc-

hæreditatem ultra Iordanem. Leuitis vero nullam hæreditatem inter eos attribuerat. Nam filij Ioseph efficiebant duas tribus Manasse & Ephraim. Ideo non dederunt leuitis partem terræ, sed oppida in quibus habitarent, & suburbia pro ipsorum iumentis & facultatibus, Sicut **DOMINVS** Mosi præceperat, sic faciebant filij Israël & diuidebant terram.

Accedentes autem filij Iuda ad Iosua in Gilgal, & Caleb filius Iephunne

Caleb.

Kenisæus dixit ad eum, Tu scis quid **DOMINVS** ad Mosen virum Dei dixerit de meis & tuis vijs in Kades Barnea.

Ego confeceram ætatis annos quadraginta, cum me mitteret Moses

Hæc *ἡρονολογία* est lumen totius libri Iosue.

seruus **DOMINI** ex Kades Barnea ad explorandam terram & exposui rediens omnem rem sicut postulabat conscientia mea. Fratres vero mei, qui mecum ascenderant, languescerunt cor populi. Ego vero secutus sum **DOMINVM** fi-

Gloria est testimonium bonæ conscientie recte iudicantis, 2. Cor. 1.

deliter



deliter. Iuravit itaq;
 Moses illo die dicens,
 Terra cui vestigium
 pedis tui impressisti,
 erit tua & filiorum tuorum perpetua
 hæreditas, quia D O M I N V M Deum me-
 um fideliter secutus es.

Pindarus: Bona
 conscientia est dul-
 cis nutricula fene-
 ctutis.

Et ecce D O M I-
 N V S conseruauit me
 saluum atq; incolu-
 mem, sicut locutus
 fuerat. Sunt autem quadraginta &
 quinque anni, postquam D O M I N V S hæc
 ad Moſen locutus est, & Iſraël inde vsq;
 ab eo tempore in deserto vagatus est.
 Ecce autem ego hodie confeci ætatis
 annum octogefimum quintum, & ho-
 dierno die eodẽ robore præditus sum,
 quod habui tunc cū
 Moſes me mitteret,
 Sicut erant tunc vi-
 res meæ, ita nunc
 quoq; accommoda-
 tæ sunt ad prælian-
 dum, & ad ingredi-
 endum atq; egredien-
 dum. Nunc igitur da
 mihi hæc montana,

Deut. 30. Domi-
 nus est vita tua &
 longitudo dierum
 tuorum.

γέραν ἀκμάζων πολ-
 λῶν νεῶν κρείττων, Se-
 nex vegetus multis
 iuuenib. antecellit.

Aen. 9. Nec tarda
 senectus

Debilitat vires ani-
 mi, mutatque vigo-
 rem.

Hæc con-
 gruunt ad dictum
 Psalmi 92. Planta-
 ti in domo Domini

H de qui-

de quib. illo die D O M I N V S locutus est, quia tu audiuisti hæc illo ipso die. Nam Enakim incolunt ea, & ciuitates sunt magnæ ac probe munitæ, si forte D O M I N V S mecum esse voluerit, vt eijciam eos, sicut D O M I N V S locutus est.

in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc germinabunt in senecta, pingues & virides erunt.

Benedixit vero ei Iosua, deditq; Hebron Caleb filio Iephunne ad possidendum. Hinc Hebron venit in potestatem Caleb filij Iephunne Kenisæi, ad hunc vsq; diem, quia D O M I N V M Deum Israël fideliter secutus fuerat. Hebron autem olim nominabatur Kiriath Arba. Nam (Arba) fuit magnus homo inter Enakim, & terra habebat respirationem à bellis.

CAPVT XV.

Argumentum.

IN HOC capite non solum Geographica obseruentur, sed etiam hi loci, qui ad doctrinam pertinent. P R I O R est exemplum φιλοσοφίας paternæ erga filiam charissimam.
Nam

Nam Caleb ut pater φιλοσογος ardentem amat filiam, eiq; postulatū munus siue modestitate largitur. Hoc exemplum illustrat Christi dictum Luce 11. Si vos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. ALTER locus monet singulari consilio Dei factum esse, ut Jebusei non prorsus delerentur. His enim reliquis Cananeorum impietatem & scelera Israëlitarum punire Deus, & fidem exercere voluit. Significat etiam hæc pars historia non sine causa adhuc herere in sanctis peccatum. Etsi enim Deus damnationem concupiscentie abstulit: tamen ad humiliandos nos ipsam concupiscentiam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus, ut præclare dicit Bernardus in sermone de cœna Domini.

T E X T V S.

<p>Sors tribus filiorum Iuda secundum familias suas erat terminus Edom iuxta desertum Zin versus meridiem ab extremitate Austrina. Fuit ergo terminus</p>	<p>Hæreditas tribus Iuda.</p>
H 2	minus

minus eorum meridianus extremitas maris falsi, hoc est, à lingua, quæ meridiem respicit. Et inde egreditur ascendendo in Akrabbim, & transit per Zin, & ascendit à meridie versus Kades Barnea, & transit per Hezron, & ascendit in Adar, & reflectitur in Karkaa, & transit per Azmon, & pertingit usque ad torrentem Aegypti, ut exitus termini sit mare. Hic sit terminus vester versus meridiem.

Lingua significat extremam oram.

Terminus vero Orientalis est à mari falso usque ad finem Iordanis.

Terminus Septentrionalis est à lingua maris, quæ est in extremitate Iordanis, & ascendit in Bethagla, & transit ab Aquilone in Betharaba, & hinc ascendit ad lapidem Bohem filij Ruben.

Betharaba, id est, domus deserti. Alii vero putant legendum esse Bethabara,

id est, domus transitus seu traiectionis fortassis orta appellatione loci à populi Israëliti miraculosa translatione, quo loco Ioannes Messiaë præcursor baptizavit tum alios, tum Christum etiam ipsum, qui ab hoc ipso loco ante paucos dies profectus, in urbem Ierosolymam cum pompa regia est inuectus, ut se agnum ad paschatis instans festum, mactandum pro genere humano patri sifteret, & suum transitum per Iorda-

Jordanem, hoc est, passionem inchoaret.

Et ascendit in Debir à valle Achior, & à loco Septentrionali qui respicit Gilgal, quæ sita est ex aduerso ascensionis in Adummim, ab austrina parte torrentis, Postea transit ad aquas En-Semes, & pertingit ad fontem Rogel. Deinde ascendit per vallem filij Hinnam in latere Iebusæi à meridie, & hæc est Ierusalem, & ascendit in verticem montis, qui est è regione vallis Hinnam versus Occasum, & pertingit ad angulum vallis Rephaim versus Septentrionem. Postea reflectitur à montis illius vertice ad fontem Nephthoah, & excurrit ad ciuitates montanas Ephron, & inflectit se ad Baala, quæ est Kiriath Iearim. Et retorquetur à Baala versus Occasum ad montana Seir, & transit per latus montis Iearim ab Aquilone, quæ est Chessalon, & descendit in Bethfemes, & transit per Thimna, & egrediens à latere Ekron versus Septentrionem reflectitur ad Sichron, & transit per montem Baala, & excurrit in Iabneël, vt exitus huius termini sit mare.

Terminus vero Occidentalis est mare magnum. Hi sunt termini filiorum

H 3 Iuda

Iuda per circuitum in cognationibus suis.

Ipsi autem Caleb Calebi hereditas. filio Iephunne attribuebatur hereditas inter filios Iuda, sicut DOMINVS Iosue præceperat, videlicet KiriathArba patris Enak, que est Hebron. Et Caleb expulit inde tres filios Enak, Sesai, Ahiman, & Thalmi, quos genuerat Enak. Inde profectus est ad incolas Debir, quæ olim nominata est Kiriath Sepher. Et dixit Caleb, Qui percusserit Kiriath Sepher & ceperit eam, huic in matrimonium collocabo filiam meam Achsa. Et cepit eam Athniël filius Kenas fratris Caleb, & tradidit ei in matrimonium filiam suam Achsa.

Et cum ingrederetur illa, incitavit sponsum ut agrum peteret à focero, & ipsa decidit de asino. Caleb vero compellavit eam inquit, Quid agis? Illa respondit, Da mihi benedictionem, & cum dederis mihi terram Australem, da etiam

Olim fratrum filiis & filiabus licuit inter se contrahere connubia etiã Romanis legib. Nunc in collaterales prohibita sunt connubia intra quartum gradum.

da etiam scaturigines aquarum, & dedit ei scaturigines superiores & inferiores. Hæc est hæreditas tribus filiorum Iuda in cognationibus suis.

Et ciuitates tribus filiorum Iuda ab extrema ora vsq; ad extremam in termino meridionali versus Idumæos erant hæ: Kabzeël, Eder, Iagur, Kina, Dimona, Adada, Kedes, Hazor, Ithnan, Siph, Telem, Bealoth, Hazorhadata, Kirioth Hezron, hæc est Hazor, Amam, Sema, Molada, Hazar, Gadda, Hefmon, Bethpalet, HazarSual, Beërseba, Bifiothia, Baëla, Iijm, Azem, Eldolad, Chesil, Harma, Ziklag, Madmanna, Sansanna, Lebaoth, Silhim, Ain, Rimon, Hæ sunt viginti nouem ciuitates & pagi earum.

In vallibus vero erant Esthaol, Zarea, Afna, Sanoah, Enganim, Thapuah, Enam, Iarmuth, Adullam, Socho, Aseka, Saeraim, Adithaim, Geder, Giderothaim. Hæ sunt quatuordecim ciuitates vnà cum pagis suis.

Zenan, Hadasa, MigdalGad, Dilean, Mizpe, Iakthiel, Lachis, Bazekath, Eglon, Chabon, Lahmam, Cithlis, Gederoth, BethDagon, Naema, Make-
 H 4 da. Hæ

da. Hæ sunt sedecim ciuitates & pagi earum.

Libna, Ether, Aſan, Iephthah, Aſna, Nezib, Kegila, Achſib, Mareſa. Hæ ſunt nouem ciuitates & pagi earum. Ekron cum filiabus & pagis ſuis. Ab Ekron & à mari quicquid pertingit ad Aſdod & pagi earum. Aſdod cum filiabus & pagis ſuis, Gaza cum filiabus & pagis ſuis vſq; ad torrentem Aegypti, & mare magnum eſt terminus eius.

In montanis vero erant Samir, Iathir, Socho, Danna, KiriathSanna, quæ eſt Debir, Anab, Eſthemo, Anim, Goſen, Holon, Gilo. Hæ ſunt ciuitates vndecim cum pagis ſuis.

Arab, Duma, Eſean, Ianum, Beth Thapuah, Apheka, Humta, Kiriatharba, quæ eſt Hebron, Zior. Hæ ſunt nouem ciuitates cum pagis ſuis. Maon, Carmel, Siph, Iuta, Iefreël, Iakdeam, Sanoah, Kain, Gibeà, Thimna, Hæ ſunt decem ciuitates cum pagis ſuis. Halhul, Bethzur, Gedor, Maarath, BethAnoth, Elthekon, Hæ ſunt ſex ciuitates & pagi earum. KiriathBaal, quæ eſt KiriathIearim, & Rabba duæ ciuitates cum pagis ſuis. In deſerto
autem

autem Betharaba, Middin, Sechacha, Nibsan & ciuitas falis & Engeddi. Hæ sunt sex ciuitates & pagi earum.

Iebusæi vero habitabant in Ierusalem, & filij Iuda non potuerunt eos exterminare. Commorati sunt igitur Iebusæi cum filijs Iuda in Ierusalem ad hunc vsq; diem,

Augustinus in questionibus super Iosuaam: Reliquiæ gentium in vsum Israëlitarum manserunt, vt in eis exercerentur, ne videlicet carnalibus affectibus & cupiditatibus infirmi, repentinam re-

rum temporalium prosperitatem modeste ac salubriter ferre non possent, sed elati citius interirent.

C A P V T X V I.

Argumentum.

Loca tribuum nota & in conspectu esse discantibus oportet, & cum sine inspectione tabularum vix intelligi possint, lectorem adhortor, vt tabulas semper contempletur. Quantum autem Dauid tribuerit stirpi Ephraim, apparet ex Psalmo 60. Meus, inquit, est Manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei, & Iuda dux meus. Fuit enim precipuum robur militare in tribu Ephraim. Ideo expo-

H s

stulane

stulant filij Ephraim cum Gedeone Iudicum 8. quasi nulla res magna sine ipsis aut possit aut debeat geri: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Midian.

T E X T V S.

ET fors cecidit filijs Ioseph à Iordane versus Iericho vsq; ad aquas Iericho versus ortum, & desertum quod ascendit à Iericho per montana Bethel, & excurrit à Bethel Luzam, & transit per terminum Archiatharoth, & descendit versus occasum ad terminum Iaphlethi, vsq; ad terminum inferioris Bethoron, & vsq; ad Gazer, & exitus est in mari. Hanc hæreditatem acceperunt filij Ioseph, Manasse & Ephraim.

Vtranque Bethoron superiorem & inferiorem munivit Salomon, vt scribitur 2. Paralipo. 8.

Terminus filiorum Ephraim secundum familias suas in hæreditate sua ab Oriente erat Ataroth Adar vsq; ad superiorem Bethoron, & exit versus Occasum prope Michmethath, quæ Septentrionem

Ephraim.

trionem respicit, ibiq; reflectitur versus ortum ciuitatis ThaenathSilo, & inde transit ab Oriente in Ianoha. Et descendit à Ianoha in Attaroth & Naaratha, & incurrens in Iericho pertingit ad Iordanem. A Tahphuah vero extenditur versus Occasum ad Nahalkana, & exitus eius est in mari.

Hæc est hæreditas tribus filiorum Ephraim secundum familias suas. Ciuitates vero segregatæ filiorum Ephraim vnâ cum pagis earum fuerunt permixtæ hæreditati filiorum Manasse. Et non exterminarunt Cananæos habitantes in Gaser. Commorati sunt igitur Cananæi vnâ cum Ephraim ad hunc vsq; diem, & erant tributarij.

CAPVT XVII.

Argumentum.

EX TRIBV Manasse orti sunt multi præstantes viri, vt Gedeon, Iephthe & alij. Fuit etiam magna opulentia et potentia vtriusq; tribus Ephraim & Manasse. Hæc congruunt ad benedictiones Iacob Gen. 49. & Moyse cap. 33. Deuteronomij.

TEX-

TEXTVS.

ET fors cecidit Manasse.
 tribui Manasse,
 quia ipse primogenitus fuit Ioseph, &
 cecidit Machir primogenito Manasse
 patri Gilead, Erat enim vir bellicosus,
 ideo attributa est ei Gilead & Basan.
 Alijs vero filijs Manasse secundum fa-
 milias suas cecidit etiam, videlicet filijs
 Abieser, filijs Helek, filijs Afriël, filijs
 Sechem, filijs Hepher, & filijs Semida.
 Hi sunt filij Manasse filij Ioseph, mascu-
 li per cognationes suas.

Zelaphehad vero filius Hepher filij
 Gilead, filij Machir, filij Manasse, nul-
 los habebat filios, sed filias, quarum
 nomina hæc sunt, Mahala, Noa, Hag-
 la, Milca, Tirza. Et accedentes ad sacer-
 dotem Eleasar & ad Iosuaam filium Nun
 & ad principes dixerunt, **DOMINVS**
 præcepit Mofi, vt nobis assignaret hæ-
 reditatem inter fratres nostros. Et as-
 signata est eis hæreditas inter fratres
 patris earum iuxta mandatū **DOMINI**.

Et ceciderunt funiculi Manasse de-
 cem præter terram Gilead & Basan,
 quæ est trans Iordanem. Nam filia
 Ma-

Manasse acceperunt hæreditatem inter filios eius, & terra Gilead fuit propria reliquorum filiorum Manasse.

Et terminus Manasse fuit ab Aser ad Michmethath, quæ sita est in conspectu Sechem, & à dextra pertingit vsq; ad incolas Entappuah. Nam terra Tappuah fuit in potestate Manasse & distinguit Manasse à filijs Ephraim. Postea descendit in Nahalkana versus meridiem ad ciuitates torrentis, quæ sunt Ephraim, inter ciuitates Manasse. A Septentrione vero terminus Manasse est ad torrentem, & desinit in mari, ita vt Ephraim sit ad Meridiem, & Manasse versus Septentrionem, habens mare pro termino suo, & in Aser concurrant ab Aquilone, & in Isaschar ab Ortu.

Habuit ergo Manasse in Isaschar & Aser, BethSean cum filiabus suis, Ieb-laam cum filiabus suis, & ciues Dor vnà cum filiabus & ciues Endor cum filiabus, & ciues Taanah & filias, & ciues Megiddo & filias, & tertiam partem Napheth. Et filij Manasse non poterant occupare ciuitates

Megiddo, quam Herodotus lib. 2. Magdalum vocat, insignis clade regis Iosæ 4. Reg. 23. istas,

istas, sed Cananæi ^{2. Paral. 35. Zachariae 12.}
 cœperunt habitare in

illa regione. Cum autem creuisset potentia filiorum Israël, imposuerunt Cananæis tributa, nec exterminarunt eos.

Et locuti sunt filij Ioseph cum Iosua dicentes, Quare mihi vnâ duntaxat fortem & vnum funiculum hæreditatis dedisti, cum quidem sim populus magnus, sicut mihi benedixit D O M I N U S? Iosua vero respondit eis, Cum sis magnus populus, ascende in siluam, & succide eam in terra Pherisæi & Rephaïm, siquidem montana Ephraim angustiora sunt quàm vt te capere possint.

Et dixerunt filij Ioseph, Montana non attingemus, quia ferreos currus habent omnes Cananæi, qui valles terræ incolunt, quibus vicina est BethSean cum filiabus suis, & Iesreël in valle. Iosua vero dixit ad domum Ioseph, ad Ephraim & Manasse, Tu es magnus populus, & quia robore excellis, non contentus eris vna forte, sed montana tua erunt, in quibus est silua, quam succides, & erit fortis tuæ extremitas, postquam expuleris Cananæos, qui habent ferreos currus & potentes sunt.

C A P V T

CAPVT XVIII.

Argumentum.

IN hoc capite primum consideretur doctrina valde necessaria de copulatione auxilij diuini & humane diligentie. Vult enim Deus nostram diligentiam velut remigum laborem ipsi nauim regenti & impellenti non deesse. Preclare ergo quidam scripsit:

*Auxilium conatus amat, quis namq; vacante
Adiuuat, aut somno virtutem iungit inertī.
Deinde & hoc obseruetur, Ierosolymam sitam
in tribu Benjamin fuisse sedem regiam & sa-
cerdotalem. Ideo tribus Benjamin compara-
tur à patriarcha Iacob Gen. 49. lupo mane
rapianti & vespere diuidenti spolia. Ut enim
hec vrbs ad se rapuit omnia commoda totius
terre Canaan: sic per apostolos distribuit be-
neficia Christi tanquam opima spolia iuxta
illud Esaie 2. Ex Sion egredietur lex, & ver-
bum Domini de Ierusalem.*

TEXTVS.

ET congregata est tota multitudo
filiorum Israël in Silo, atq; ibi ere-
xerunt tabernaculum testimonij, &
terra

terra erat eis subiecta. Erant autem reliquæ septem tribus Israël, quibus nondum diuiserant hæreditatem suam. Et Iosua dixit ad filios Israël, Quamdiu ignaui estis, nec iter suscipitis ad occupandam terram, quã vobis Deus patrum vestrorum dedit? Eligite ex vnaquaq; tribu tres viros, vt eos mittam, & ipsi profecti terram lustrent, & describant ratas partes hæreditatis, & redeant ad me.

Voluntas nostra audito verbo Dei non sit contumax nec ignaua, sed sit comes verbi & Spiritus sancti.

Diuidite terram in septem partes, Iuda manebit intra terminum suum à meridie, & domus Ioseph continebit se intra terminum à Septentrione. Vos autem describite terram septem partium, & adducite eos ad me, & iaciam vobis sortem coram DOMINO Deo nostro. Nam leuitæ non habent partem inter vos, sed sacerdotium DOMINI est hæreditas eorum. Gad vero & Ruben & dimidia tribus Manasse acceperunt partem suam ultra Iordanem versus Ortum, quam ipsis Moses seruus DOMINI dedit.

Surgen-

Surgentes itaq; viri abierunt, & Iosua præcepit abeuntibus, vt describe-
rent terram inquiens: Ite & lustrate
terram & describite eam, & redite ad
me, vt iaciam vobis sortem coram D O-
M I N O in Silo. Et abierunt viri & lu-
strarunt terram & descripserunt eam
in libro iuxta ciuitates distributam in
septem partes, & redierunt ad Iosua
in castra, quæ erant in Silo. Ibi iecit
eis Iosua sortem in Silo coram D O M I-
N O, & diuisit eodem in loco terram in-
ter filios Israël, vnicuiq; suam partem.

Et fors tribus fi-
liorum Benjamin ce-
cidit secundum familias eorum, & ter-
minus fortis eorum transiit inter fi-
lios Iuda & filios Ioseph. Ac terminus
eorum fuit in angulo Septentrionali
à Iordane, & ascendit in latere Ieri-
cho à Septentrione, & excurrit in mon-
tana versus Occasum, & desinit in de-
serto Bethauen. Inde transit in Luzam
versus Meridiem, quæ est Bethel, & de-
scendit in Attaroth Ader ad montem,
qui est ad Meridiem Bethoron inferio-
ris. Postea declinans reflectitur ad an-
gulum maris versus Meridiem à monte,
I qui est

qui est è regione Bethoron versus meridiem, & desinit in KiriathBaal, quæ est KiriathIearim, ciuitas filiorum Iuda. Hic est angulus occidentalis.

Angulus vero meridianus incipit à KiriathIearim, & excurrit ad Occasum & pertingit ad fontem Nephthoah, & descendit ad extremam oram montis, qui est oppositus valli filij Hinnam, quæ est vallis Rephaim versus Septentrionem, & descendit per vallem Hinnam in latere Iebusæorum ad meridiem, & pertingit vsq; ad fontem Rogel. Et declinans à Septentrione excurrit in EnSemes, & inde in GeliLoth quæ sunt in ascensu Adummin, & descendit ad lapidem Bohem filij Ruben. Et pertransiens latus ipsum, quod est è regione planitie Septentrionalis, descendit in campestria. Et rursus pertransiens latus Bethagla ad Aquilonem, & desinit in lingua maris Salsi versus Septentrionem in extremitate Iordanis meridiana. Hic est terminus Meridianus.

Angulum vero Orientalem terminat Iordanis. Hæc est hæreditas filiorum Benjamin in finibus suis per circuitum

cuitum secundum familias suas.

Ciuitates vero tribus filiorum Benjamin secundum familias suas hæ sunt, Iericho, Bethagla, EmekKeziz, Betharaba, Zemaraim, Bethel, Auim, Hapara, Ophra, CapharAmonai, Aphni, Gaba. Hæ sunt duodecim vrbes & pagi earum. Gibeon, Rama, Beëroth, Mizpe, Caphira, Moza, Rekem, Ierpeel, Thareala, Zela, Eleph, & Iebusi, quæ est Ierusalem, Gibeath, Kiriath, Quatuordecim ciuitates cum pagis suis. Hæc est hæreditas filiorum Benjamin secundum familias suas.

CAPVT XIX.

Argumentum.

Iosua nullam partem terre sibi assignauit, sed oblatam à populo accepit, docens eos qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed utilitati subditorum inservire debere. Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissæ est, gerenda est.

Postea cecidit fors altera tribui filiorum Simeon, secundum familias suas, & hæreditas eorum erat in medio hæreditatis filiorum Iuda. Et iure hæreditario possederunt Beërseba, Seba, Molada, HazarSual, Bala, Azem, Eltholad, Bethul, Harma, Ziklag, BethMarcaboth, HazarSuffa, BethLebaoth, Saruhen, Hæ sunt tredecim ciuitates cum pagis suis. Ain, Rimon, Ether, Afan. Hæ sunt quatuor ciuitates cum pagis suis. Præterea omnes pagos, qui sunt in agro harum ciuitatum, vsq; ad Baalath BeërRamath versus meridiem. Hæc est hæreditas tribus filiorum Simeon secundum familias suas. Nam filiorum Simeon hæreditas est intra funiculum filiorum Iuda, quia hæreditas filiorum Iuda maior erat quam pro numero illorum. Ideo filij Simeon partem hæreditatis eorū obtinuerunt.

Tertia fors cecidit filijs Zebulon secundum familias suas, & terminus hæreditatis eorum erat vsq; ad Sarid, & ascen-

Simeon.

Sebulon.

ascen-

ascendit versus occasum ad Mareala, & pertingit ad Dabafeth, & excurrit vsque ad torrentem qui præterlabitur Iakneam. Et reflectitur à Sarid versus Solis ortum, vsq; ad terminum Cisloth Thabor, & excurrit in Dabrath, & pertingit vsq; ad Iaphia. Et inde transit versus ortum per Gi-

thaHepher, Itha, Kazin, & excurrit in Rimon, Mithoar &

GithaHepher patria Ionæ prophetae, 4. Reg. 14.

Nea. Et reflectitur à Septentrione ad Nathon, & desinit in valle Iephthahel, Katath, Nahalal, Simron, Iedeala, & Bethlehem. Hæ sunt duodecim vrbes cum pagis suis. Hæc est hæreditas filiorum Sebulon secundum familias suas. Hæ sunt ciuitates & pagi eorum.

Quarta fors cecidit filijs Isaschar secundum familias suas, & terminus eorum erat, Iesfreël, Chesulloth, Sunem, Hapharaim, Sion, Anaharath, Rabith, Kiseon, Abez, Remeth, Engannem, Enhada, BethPazez. Et pertingit ad Thabor, Sahazima, Beth-Semes, & desinit in Iordane. Sedecim ci-

Isaschar,

Thabor montis altitudo est stadiorum triginta, & ciuitates

uitates cum pagis earum. Hæc est hæreditas tribus filiorum cuminis area diametrum habet stadiorū fere viginti.

rum Ifaschar secundum familias suas, ciuitates & pagos.

Quinta fors cecidit tribui filiorum Afer secundum familias suas, & terminus eorum erat Helkath, Hali, Beten, Achsaph, Alamelech, Amead, Mised, & pertingit vsq; ad Carmelum in occidente & ad Sihor Libnath, & conuertit sese ad Solis ortum ad Bethdagon, & attingit Sebulon & vallem Iephthaël ad Septentrionem, Bethemek, Negiël, & excurrit in Cabul ad sinistram, Ebron, Rehob, Hamon, Kana, vsq; ad magnam Sidonem. Et conuertitur ad Rama vsq; ad munitā urbem Zor. Et reflectitur ad Hofsa, & desinit in mari iuxta funiculum tendentem ad Achsib Vma, Aphek, Rehob, viginti duæ vr-

Afer.

Cana maior patria Syrophænissæ, cuius filiam Christus à dæmonio liberauit, Matth. 15.

Tyrus Colonia fuit deducta ex Sidone. Nomen Ebræum est Zor, id est, rebellis, quia credibile est partem ciuium ex Sidone propter seditionem aliam sedem in lit-

bes cum

bes cum pagis suis.
Hæc est hæreditas
tribus filiorum Aser
secundū familias su-
as, ciuitates & pagos.

tore quæsiuiffe.
Hanc Alexander
post obsidionem se-
ptem mensium ex-
pugnauit, trucidatis
septem millib.
ciuium, & deinde

duobus millibus strangulatis. Huius vrbs exci-
dium prædixit Esaias cap. 23. qui nominatim ait
ducem ex Cithim venturum esse ad Tyrum.
Sunt autem Cithim Macedones. Et nomen Ci-
thim significat percussores.

Sexta fors cecidit Naphthali.

filijs Naphthali se-
cundum familias suas, & terminus eo-
rum erat ab Heleph, Elon, per Zaenan-
nim, Adaminekeb, Iabneël, vsq; in La-
kum, & desinit in Iordane. Et reflecti-
tur versus occasum, in Asnoth Thabor,
& inde excurrit in Hukok, & attingit
Zebulon versus meridiem, & Aser
versus occasum, & Iudam in Iordane
versus ortum. Et habet munitas vrbes
Zidim, Zer, Hammath, Rakath, Cinna-
reth, Adama, Rama, Hazor, Kedes,
Edrei, Enhazor, Iereon, Migdalel, Ha-
rem, Beth Anath, Bethfames, decem &
nouem ciuitates cum pagis suis. Hæc
est hæreditas tribus filiorum Naphtha-
li secundum familias suas, ciuitates &
pagos.

I 4

Septi-

Septima fors ceci- Dan.
dit tribui filiorum

Dan secundum familias suas, & terminus hæreditatis eorum erat Zarea, Efthaal Irfames, Saelabin, Aialon, Iethla, Elon, Thimnatha, Ekron, Eltheke, Gibethon, Baalath, Iehud, BneBarak, GathRimon, MeIarkon, Rakon, vnà cum finibus Iapho, atq; ibi definit terminus filiorum Dan. Et filij

Ioppe antiquior terrarum inundatione, Plinius lib. 5. cap. 13.

Dan ascenderunt, & oppugnatam Lesem ceperunt & percusserunt acie gladij, & occupatam incoluerunt, & nominarunt eam Dan iuxta nomen patris sui. Hæc est hæreditas tribus filiorum Dan secundum familias suas, ciuitates & pagos.

Et cum totam terram distribuissent cum terminis suis, dederunt filij Israël Iosuaë filio Nun hæreditatem in medio sui, & dederunt ei iuxta præceptum DOMINI ciuitatem, quam postulabat, videlicet Thimnath Serah in montanis Ephraim, & ornauit eam ædificijs & habitauit in ea.

Hæ sunt hæreditates, quas Eleasar facer-

facerdos, & Iosua filius Nun, & præcipui patres in tribubus distribuerunt in Silo sorte filijs Israël coram DOMINO, ante ostium tabernaculi testimonij, atq; ita finem imposuerunt diuisioni terræ.

C A P V T X X.

Argumentum.

Cum Deus ipse discernat dolum à culpa & voluntaria delicta ab inuoluntarijs, non assentiamur Stoicis, qui dicunt omnia peccata paria esse, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinacium, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocauerit. Distinguuntur enim gradus peccatorum causis interiorib. in mente & voluntate, ut atrocius peccat Eua, que præceptum Dei sciens & volens violat, quam Maria amittens filium. Deinde consideremus dulcem allegoriam de morte summi sacerdotis. Ut enim autor cædis inuoluntarie post mortem summi pontificis redibat in patriam quasi iure postliminij: sic nos miseri peccatores reuocamur ab exilio in patriam cœlestem morte sacerdotis, qui seipsum per spiritum æternum obtulit immaculatum Deo.

I 5

T E X-

T E X T V S.

ET DOMINVS locutus est ad Iosua-
am dicens, Dic filijs Israël, Date
inter vos ciuitates refugij, de quibus
per Mosen ad vos locutus sum, vt ad
eas confugere possit autor cædis, qui
animam præter opinionem & nulla de-
liberatione præcedente percussit, vt
inter vos liber sit à vindice sanguinis.
Et qui ad vnã harum ciuitatum con-
fugit, stabit ante portam ciuitatis, &
exponet causam suam audientibus se-
nioribus ciuitatis, & recipient eum ad
se intra ciuitatem, & ei locum ad habi-
tandum concedent.

Quod si vindex sanguinis perseque-
tur eum, non tradent autorem cædis
in manus eius, cum re non deliberata
proximum suum percusserit, nec antea
cum eo exercuerit inimicitiam. Habi-
tabit ergo in ciuitate, donec steterit
coram multitudine in iudicio, & vsq̃
ad mortem summi sacerdotis, qui illo
tempore fuerit. Postea redibit autor
cædis in suam ciuitatem, & in domum
suam, in ciuitatem, quam fugiens reli-
quit.

Sancti-

Sanctificarunt igitur Kedes in Galilæa in montanis Naphthali, & Sechem in montanis Ephraim, & KiriathArba, quæ est Hebron in montanis Iuda, Et ultra Iordanem è regione Iericho versus ortum, dederunt Bezer in deserto in pianicie de tribu Ruben, & Ramoth in Gilead de tribu Gad, & Golan in Basan de tribu Manasse. Hæ erant ciuitates destinatæ omnibus filijs Israël & peregrinis, qui inter eos versabantur, vt ad eas confugeret, qui præter opinionem animam percutit, ne interficiatur à vindice sanguinis, donec coram multitudine steterit.

Sanctificare significat segregare.

CAPVT XXI.

Argumentum.

Dv o sunt huius capituli loci præcipui. PRIOR est consolatio opponenda solitudini de hospitio. Ut enim leuitis in populo Israel Deus dedit domicilia: ita dabit aliquos nidulos doctoribus Euangely, vt Athanasio exulanti dat hospitium in vrbe Treuirensi. Alter locus est insigne testimoniũ de veritate diuina-

diuinarum promissionum. Quod enim Deus promiserat patribus, id posteris eorum optima fide præstitit.

T E X T V S.

Accefferunt autem præcipui patres leuitarum ad sacerdotem Eleazar, & ad Iosiam filium Nun, & ad præcipuos patres, qui præerant tribubus filiorum Israël, & allocuti sunt eos in Silo in terra Canaan dicentes: **DOMINVS** præcepit per Mosen, vt darentur nobis ciuitates ad habitandum, & suburbia pro iumentis nostris. Dederunt itaq; filij Israël leuitis de hæreditate sua iuxta mandatum **DOMINI** has ciuitates & earum suburbia.

Et fors cecidit filijs Kahathitarum, & assignatæ sunt filijs Aharon sacerdotis, qui erant leuitæ per sortem tredecim ciuitates à tribu Iuda, à tribu Simeon, & à tribu Benjamin. Alijs vero filijs Kahath eiusdem familiæ sorte assignatæ sunt decem ciuitates à tribu Ephraim, à tribu Dan, & à dimidia tribu Manasse.

Filij vero Gerson

Gerson.

eiusdem

eiusdem familiae sorte assignatae sunt
tredecim ciuitates, à tribu Isaschar, à
tribu Aser, & à tribu Naphthali, & à
dimidia tribu Manasse in Basan.

Filijs Merari eiusdem familiae assignatae sunt duodecim ciuitates, à tribu
Ruben, & à tribu Gad, & à tribu Sebulon.

Merari.

Dederunt itaque filij Israël sorte leuitis has ciuitates & earum suburbia, sicut DOMINVS per Mosen praeceperat. De tribu filiorum Iuda, & de tribu filiorum Simeon dederunt has ciuitates, quae suis nominibus appellantur, filijs Aharon familiae Kahathitarum, qui erant filij Leui, quia ipsorum erat prima fors. Dederunt ergo eis Kiriath Arba, quae fuerat patris Enak, quaeque est Hebron, in montanis Iuda, & suburbia eius per circuitum. Agrum vero vrbis & pagos dederunt Caleb filio Iephunne tanquam haereditatem.

Dederunt itaque filijs Aharon sacerdotes, ciuitatem quae perfugium praebet autoribus caedis, Hebron & eius suburbia, Libna cum suburbijs suis, Iathir cum suburbijs suis, Esthmoa & suburbia

bia

bia eius, Holon & suburbia eius, Debir & suburbia eius, Ain & suburbia eius, Iuta & suburbia eius, Bethfemes & suburbia eius, nouem ciuitates de his duabus tribubus. De tribu vero Benjamin dederunt quatuor ciuitates, Gibeon & suburbia eius, Geba & suburbia eius, Anathoth & suburbia eius, Almon & suburbia eius. Erant igitur omnes ciuitates filiorum Aharon sacerdotis numero tredecim cum suburbijs suis.

Anathoth patria
Ieremiæ prophetae.

Familijs vero reliquorum filiorum Kahath leuitis sorte assignatae sunt quatuor ciuitates de tribu Ephraim, & dederunt eis ciuitatem quae perfugium praebet autoribus caedis, Sechem & suburbia eius in montanis Ephraim, Geser & suburbia eius, Kibzaim & suburbia eius, Bethoron & suburbia eius. De tribu Dan quatuor ciuitates, Eltheke & suburbia eius, Gibthon & suburbia eius, Aialon & suburbia eius, GathRimon & suburbia eius. De dimidia tribu Manasse duas ciuitates, Thaenach & suburbia eius, GathRimon & suburbia eius.

Kahath.

eius.



eius. Erant igitur omnes ciuitates reli-
quorum filiorum familiae Kahath nu-
mero decem cum suburbijs suis.

Filijs vero Gerson, Gerson.
qui ipsi quoque erant
de familijs leuitarum, assignabantur
de dimidia tribu Manasse duae ciuita-
tes, ciuitas praebens perfugium autori-
bus caedis, Golan in Basan, & suburbia
eius, Beesthra & suburbia eius. De tri-
bu Isaschar quatuor ciuitates, Kision
& suburbia eius, Dabrath & suburbia
eius, Iarmuth & suburbia eius, Engan-
nim & suburbia eius. De tribu Aser
quatuor ciuitates, Miscal & suburbia
eius, Abdon & suburbia eius, Helkath
& suburbia eius. Rehob & suburbia
eius. De tribu Naphthali tres ciuitates,
ciuitas Kedes praebens perfugium au-
toribus caedis in Galilaea & suburbia
eius, HamothDor, & suburbia eius,
Karthan & suburbia eius. Erant igitur
omnes ciuitates familiae Gersonitarum
numero tredecim cum suburbijs suis.

Familijs vero filiorum Merari, reliquis
leuitis assignabantur, de tribu Sebulon
quatuor ciuitates, Iakneam & suburbia
eius, Kartha & suburbia eius, Dimna
& sub-

& suburbia eius, Nahalal & suburbia eius. De tribu Ruben ciuitates quatuor, Bezer & suburbia eius, Iahza & suburbia eius, Kedemoth & suburbia eius, Mephaath & suburbia eius. De tribu Gad quatuor ciuitates, ciuitas præbens perfugium autorib. cædis, Ramoth in Gilead & suburbia eius, Mahanaim & suburbia eius, Hesbon & suburbia eius, Iaëfer & suburbia eius. Omnes ergo ciuitates filiorū Merari secundū familias reliquorum leuitarum iuxta sortem suā erant duodecim. Omnes vero ciuitates Leuitarum in hæreditate filiorū Israël erant quadraginta octo cum suis suburbis, & vnaquæq; harum ciuitatum habebat sua suburbia per circuitum, nec vlla erat cui suburbia deessent.

Dedit itaq; **D**OMINVS Israëli omnem terram, quam iuramento promiserat patribus eorum, & occuparunt eam & in ea habitauerunt. Et dedit eis **D**OMINVS requiem per circuitum, sicut iurauerat patribus eorum, nec ququam hostium resistebat eis, sed omnes hostes tradidit in manus eorum, nec quic-

Deus optima fide præstat promissa.

quicquam deerat de omnibus bonis, quæ DOMINVS promiserat domui Israël, sed omnia eis exhibita sunt.

CAPVT XXII.

Argumentum.

Hoc caput initio proponit exemplum obedientie subditorum erga magistratum, quæ maximam vim habet & ad paranda & ad retinenda bona. Deinde monet ut maior unicuique patrifamiliâs cura sit relinquendi liberis Euangelij quàm patrimonij. Nam pius & sapiens paterfamiliâs hoc ducet esse præcipuum patrimonium, inserere mentibus liberorum veras sententias de Deo, easque assiduis exercitijs confirmare, ut posteri vere agnoscant, inuocent & celebrent Deum. Postremo accommodetur historia huius capituli ad regulam, Ex causis dicta & facta aestimanda sunt. Ut enim medici causa morbi inuenta curationem esse inuentam putant: sic ad veram & illustrem dictorum & factorum dijudicationem necessaria est vera causarum cognitio. Huic regule si homines obtemperarent, minus esset suspicionum & calumniarum in vita.

K TEX-

TEXTVS.

Tunc vocauit Iosua Rubenitas & Gadditas, & dimidiam tribū Mannasse, & dixit ad eos, Vos seruastis omnia, quæ vobis Moses seruus **DOMINI** præcepit, & obediuistis voci meæ in omnib. quæ mandauit vobis.

Magna laus obedientie subditorū erga magistratum.

1. Ioan. 3. Filioli mei, non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate.

Non deseruistis fratres vestros longo tempore ad hunc vsq; diem, & custodiuitis mandatum **DOMINI** Dei vestri. Cum igitur **DOMINVS** Deus vester fratrib. vestris tranquillitatem concesserit, sicut eis promiserat, reuertimini & ite in tabernacula vestra in terra hereditatis vestræ, quam vobis Moses seruus **DOMINI** attribuit trans Iordanē.

Sitis autem diligentes & assidui in præstandis officijs iuxta mandatum & legem, quam vobis Moses seruus **DOMINI** tradidit, vt diligatis **DOMINVM** Deum vestrū, & ambuletis in omnib. vijs eius, & mandata eius seruetis, & ipsi adhæ-

1. Tim. 1. Summa mandati, Dilectio ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta.

reatis,

reatis, & seruiatis toto corde & tota anima. Cum autem benedixisset eis Iosua, dimisit eos, & ipsi redibant ad tabernacula sua. Dimidię tribui Manasse dederat (possessionē) Moses in Basan, & alteri medietati eius dedit Iosua inter fratres suos trans Iordanē versus occidentē, cumq; dimitteret eos ad tabernacula sua, & benedixisset eis, hunc in modū eos allocutus est: Vos reditis ad tabernacula vestra cū magnis opibus, cum magna copia pecoris, argenti, auri, aris, ferri, & vestiū, Diuidite ergo spolia hostiū vestrorū inter fratres vestros. Redierunt ergo Rubenitæ & Gadditæ & dimidia tribus Manasse, & discesserunt à filijs Israēl ex Silo, quæ in terra Canaan sita est, vt irent in terram Gilead in terrā hæreditatis suæ, quam possidebant mandato Domini per Mosen tradito. Et cum venissent ad Geliloth in ripa Iordanis, quæ est in terra Canaan, ædificarunt Rubenitæ, Gadditæ & dimidia tribus Manasse, ibi ad Iordanē altare magnū & conspicuum. Cum autem filij Israēl fama & auditione accepissent, filios Ruben & filios Gad & dimidiā tribū Manasse extruxisse altare è

regione terræ Canaan in Geliloth iuxta Iordanem in latere filiorum Israël, cōgregati sunt vniuersi filij Israël in Silo, vt contra eos expeditionem suscipere-
rent. Et miserunt ad

eos in terram Gilead Pinehas filium Eleazar sacerdotis, & vnā

Legitima cognitio causæ antecedit executionem.

cum eo decem principes, qui præerant domibus patrum suorum, ex qualibet tribu Israël vnum, cumq̃ venissent ad eos in terram Gilead compellarunt eos dicentes, Hæc iussit

vobis nunciari tota congregatio D O M I-

Oratio legatorum.

N I, Cur ita delinquitis aduersus Deum Israël, vt hodie auersi à D O M I N O ædificetis vobis altare, atq̃ hoc modo deficiatis à D O M I N O.

An parua nobis videtur iniquitas Peor, à qua ne nunc quidem mundati sumus, & irruit plaga

Recordatio præteritorum lapsuum & pœnarum commonefaciat nos de timore Dei.

in congregationem D O M I N I? Et vos hodie auersi estis à D O M I N O, & hodie deficitis à D O M I N O, vt hodie vel cras irascatur toti

Sæpe mali malecongre-

congregationi Isra-
el? Si videtur vobis

facta viri populus
luit omnis.

immunda terra hæreditatis vestræ,
transite in terram quam possidet D O
M I N V S, in qua est tabernaculum D O
M I N I, & partem eius inter nos obtine-
te, nec deficiatis à D O M I N O & à no-
bis, vt ædificetis vobis altare præter al-
tare D O M I N I Dei nostri. An non A-
chan filius Serah de-
liquit in anathema-
te, & ira sæuijt in to-
tam cõgregationem
Israël, nec tamen solus perijt propter
iniquitatem suam.

Exemplorū ma-
gna vis est ad per-
suadendum.

Responderunt au-
tem filij Ruben, & fi-
lij Gad, & dimidia
tribus Manasse, &

Responso filio-
rum Ruben & Gad
& dimidiæ tribus
Manasse.

dixerunt ad capitaneos & principes Is-
raël, Fortis Deus D O M I N V S, Fortis
Deus D O M I N V S scit, & Israël scit, Si
deficimus aut delinquimus contra D O
M I N V M, non opituletur nobis hodie.
Et si ob hanc causam
ædificauimus altare,
vt auerteremus nos
à D O M I N O, & ho-

Causæ impulsi-
uæ & finales discer-
nunt actiones.

K 3

locu-

locusta vel oblationes in eo immola-
remus, vel pacificas hostias in eodem
offerremus DOMINO, ipse requirat.
Et si non multo magis de hac re solici-
ri fecimus dicentes,
Hodie vel cras pos-
sent liberi vestri ad
liberos nostros dice-
re, Quid vobis com-
mercij est cum DO-
MINO Deo Israël?
DOMINVS constitu-
it Iordanem vt sit terminus inter nos
& vos filios Ruben & Gad, ideoq; non
estis participes DOMINI. Hoc modo
abducturi essent filij vestri filios no-
stros à timore DOMINI.

Ideo diximus, Aedificemus altare
non ad sacrificium, nec ad holocaustū,
sed vt sit testimonium inter nos & vos
& posteros nostros, quod possimus ser-
uire DOMINO coram ipso, nostris ho-
locaustis, hostijs pacificis & alijs sacri-
ficijs, & ne dicant filij vestri hodie aut
cras ad filios nostros, non estis partici-
pes DOMINI. Sin autem hac oratione
vsuri essent ad nos vel ad nostram po-
steritatem hodie aut cras, possent ipsi
dicere

Pia sollicitudo de
posteritate. Decet
enim sic affectos es-
se pios, vt cupiant
posteris relinquere
Ecclesiam recte cō-
stitutam ac tran-
quillam.

dicere, Videte similitudinem altaris DOMINI, quod fecerunt patres nostri non ad sacrificium nec ad holocaustū, sed vt sit testimonium inter nos & vos. Longe à nobis absit, vt à DOMINO deficiamus, & hodie ab eo auertamur, & ædificemus altare ad holocaustum & ad oblationē & ad alia genera sacrificio rū, præter altare DOMINI Dei nostri, quod est in cōspectu tabernaculi eius.

Cum autē Pinehas sacerdos & principes congregationis atq; capitanei Israël, qui ei adiuncti erant hæc verba audiuisent, quæ filij Ruben, Gad & Manasse pronunciauerant, magnopere ea approbarunt. Et Pinehas filius Eleazar sacerdotis dixit ad filios Ruben, Gad & Manasse, Hodie cognoscimus quod Deus inter nos versetur, quia non deliquistis in hoc facto contra DOMINVM. Nunc eripuistis filios Israël ex manu DOMINI.

Redijt itaq; Pinehas filius Eleasar sacerdotis, & principes ex terra Gilead, à filijs Ruben & Gad in terram Canaan ad filios Israël, & hæc eis renunciarunt. Et placuit ea res filijs Israël, & laudarunt Deum filiorum Israël. Nec

deinceps agitarunt consilia de suscipienda expeditione & de exercitu ducendo ad perdendam terram quam filij Ruben & Gad incolebant. Et filij Ruben & Gad appellarunt altare, Testimonium fit inter nos, & quod D O M I N U S fit Deus.

C A P V T X X I I I .

Argumentum.

Iosua vocatus ad vitæ exitum magis de statu Ecclesiæ quàm de suis rebus angitur, ut de Theodosio scripsit *Ambrosius*, Dilexi virum, qui cum corpore solueretur magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur. Nihil est enim quod principem magis commendet Deo & hominibus quàm pia sollicitudo de patria omnium laudatissima Ecclesia. Si enim magni & fortes viri debent maximas dimicationes suscipere, ut posteris saluam Rempublicam tanquam certam sedem relinquunt, quanto magis decet sic affectos esse Christianos & principes & doctores, ut cupiant posteris relinquere Ecclesiam recte constitutam & tranquillam. Hac igitur pia sollicitudine permotus *Iosua* totam Ecclesiam
populi

populi Israëli hortatur, ut puritatem doctrinae
 & cultuum tanquam preclarum depositum
 & magni precij thesaurum bona fide custodi-
 at, & vitet omnes occasiones idolatriæ & cor-
 ruptelæ bonorum morum. Utitur autem ar-
 gumento ad persuadendum maxime accom-
 modato, quod ducitur à veritate promissio-
 num & comminationum diuinarum. Deus
 est verax. Itaq; & comminationes & pro-
 missiones ipsius sciamus ratas & firmissimas
 esse. Affirmat autem Deus se obedientibus
 daturum esse præmia, & contumaces punitu-
 rum esse. Quare firmissime statuendum est
 Deum & promissa præstiturum esse & fore
 executorem pœnarum.

T E X T V S.

Longo autem tempore circumactò,
 cum DOMINVS Israëli dedisset
 respirationem ab omnibus hostibus
 eorum in circuitu, & Iosua senex & an-
 nis grauis esset, vocauit totum Israëli,
 & præcipuos senes eius, iudices & præ-
 fectos, & dixit ad
 eos, Ego sum senex
 & natus grandis. Et
 vos vidistis omnia quæ D O M I N V S

Concio Iosua ad
 populum.

K 5

Deus

Deus vester fecit cunctis gentibus istis
in conspectu vestro.

Nam **D O M I N V S**
Deus vester ipse pro
vobis pugnavit. Vi-
dete, Ego reliquas
gentes vobis forte
distribui, unicuique
tribui hereditatem
suam à Iordane & om-

Non est alius qui
pugnet pro nobis
nisi tu Deus noster.

Ipse, q. d. non
mandavit hunc la-
borem angelis aut
aliis creaturis, sed
immediate pro vo-
bis dimicavit.

nes gentes quas exterminavi, usque ad
mare magnum versus Solis occasum.
Et **D O M I N V S** Deus vester eiciet eas
coram vobis, & à vobis expellet ut ter-
ram earum occupetis, sicut **D O M I N V S**
Deus vester vobis locutus est.

Estote igitur magno animo, ut ser-
uetis & faciatis om-
nia quæ scripta sunt
in libro legis Mosis,
nec inde recedatis si-
ue ad dextram siue ad sinistram, ne per-
mixti reliquijs istarum gentium, quæ
vobiscum versantur, mentionem facia-
tis aut iuretis per nomen deorum, quos
ipsæ colunt, nec seruiatis eis, nec ado-
retis eos, sed **D O M I N O** Deo vestro ad-
hæreatis, sicut fecistis ad hunc usque
diem.

2. Pet. 1. Præstate
in fide virtutem, in
virtute scientiam.

diem. Et **DOMINVS** coram vobis expellet magnas & potentes gentes, sicut ad hunc vsq; diem nemo vobis resistere potuit. **Vnus** ex vobis mille persequetur, quia **DOMINVS** Deus vester pugnat pro vobis, sicut vobis locutus est. Quare in hanc rem omni cura & cogitatione incumbite, vt diligatis **DOMINVM** Deum vestrum.

Promissio.

Sin autem auersi fueritis, & adhæseritis reliquijs harum gentium, & nuptias cum eis contraxeritis, vt vos ipsis & ipsi vobis misceantur, scitote quod **DOMINVS** Deus vester non amplius eiecturus sit coram vobis omnes istas gentes, sed erunt vobis laqueus & tendicula, & flagellum in lateribus vestris & spinæ in oculis vestris, donec deleat vos de terra bona, quam vobis **DOMINVS** Deus vester dedit.

Comminatio.

Venustissima distributio:
Spinæ oculis
Laquei pedibus
Flagella lateribus.

Ecce ego hodie ingredior viã vniuersæ terræ, & vos scitis

Fortunatus in carmine de cõmuni omnium mortalitate:

toto

toto corde & tota
anima, non defuisse
vnum verbū de om-
nibus illis bonis, quæ
DOMINVS Deus
vester vobis promi-
sit, Omnia exhibita
sunt, nec vllum defu-
it. Vt igitur omnia

bona exhibita sunt, quæ vobis DOMI-
NVS Deus vester promiserat, Sic etiam
DOMINVS finet in vos irruere omnia
mala, donec vos delet de hac bona ter-
ra, quam vobis dedit DOMINVS Deus
vester, cum violaueritis fœdus DOMI-
NI Dei vestri, quod vobis mandauit, &
euntes seruieritis dijs alienis & eos
adoraueritis, vt ira DOMINI contra
vos exardescat, & vos cito delet de
terra bona, quam vobis dedit.

Quis rogo non
moritur, mortem
gustante salute

Dum pro me vo-
luit hic mea vita
mori?

Veritas promif-
sionum & commi-
nationum diuina-
rum.

CAPVT XXIII.

Argumentum.

POSTREMA concio Iosue initio com-
memorat beneficia huic populo exhibita in
peregrinationibus patrum, in Ægypto, in
deserto

deserto & in terra Canaan, deinde hortatur
populum ad timorem Dei, cuius appellatione
complectitur omnes virtutes & cultus prima
tabula. Post hanc concionem sequitur nar-
ratio de morte Iosue & Eleazari, quorum
coniunctio salutaris fuit Ecclesie Dei.

T E X T V S.

Iosua congregavit omnes tribus Is-
raël in Sichem, & vocavit seniores
Israël, capitaneos, iudices & præfectos,
& cum stetissent in conspectu Dei, di-
xit ad vniuersum populum, Sic dicit
DOMINVS Deus Israël, Patres vestri
olim habitauerunt vl-
tra flumen, Tharah
pater Abraham &
Nahor, & serui-
erunt dijs alienis. Et as-
sumsi patrem vestrum Abraham ex vl-
teriore ripa fluminis, & circumduxi
eum in tota terra Canaan, & semen
eius auxi, & dedi ei Isaac. Et ipsi Isaac
dedi Iacob & Esau. Et attribui Esau
montana Seir vt ea occuparet, Iacob
vero & filij eius descenderunt in Aegy-
ptum.

Historia peregrina-
tionis patrū Ab-
rahæ, Isaac & Ia-
cob.

Et misi

Et misi Mosen & Aharon & afflixī Aegyptum, sicut inter eos feci. Postea eduxi vos & patres vestros ex Aegypto, & cum venissetis ad mare, & Aegyptij patres vestros persequerentur cum equitatu & curribus vsq; ad mare rubrum, clamauerunt ipsi ad DOMINVM, qui constituit caliginem inter vos & Aegyptios, & mare super eos induxit, & operuit eos. Et oculi vestri viderunt, quid in Aegypto fecerim, & commorati estis in deserto longo tempore. Et ego introduxi vos in terram Amoræorum habitantium vltra Iordanem, & cum dimicarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, vt terrameorum occuparetis, & deleretis eos coram vobis.

Et surgens Balac filius Zippor rex Moabitarum, dimicauit contra Israëli, & mittens accersit Bileam filium Beor, vt vobis malediceret. Sed ego nolui eum audire, & benedixit vobis, & ego eripui vos ex manibus eius. Et cum

Eductio populi
Israël ex Aegypto.

Ne Pharaos
castra Iudæorum
irruat, arceatur
præsidio angeli
Dei, in nube
obscura & nebulosa
interponentis se
in medio duorum
exercituum, Exo. 14.

cum traiecto Iordane venissetis Iericho, pugnarunt contra vos ciues Iericho, Amoræi, Pherisæi, Cananæi, Hitthæi, Girgosæi, Hiuæi & Iebusæi. Sed ego tradidi illos in manus vestras. Et misi ante vos crabrones, qui expulerunt eos coram vobis duos reges Amoræorum, non per gladium tuum, nec per arcum tuum. Et dedi vobis terram, in qua nullos labores sustinuiti, & ciuitates quas non ædificastis, vt in eis habitaretis, & ederetis de vineis & oliuetis, quæ non plantastis.

Ecclesia non humanis viribus, sed mirandis Dei factis gloriose constituitur & ornatur.

Timete ergo DOMINVM & seruite ei integre & sine hypocrisi desertis & relictis dijs, quibus seruierunt patres vestri vltra flumen, & in Aegypto, & seruite DOMINO. Si autem non vultis seruire DOMINO, eligite vobis hodie, cui velitis seruire, Deo ne cui patres vestri seruierunt vltra flumen, an dijs Amoræorum, in quorum terra habitatis. Ego autem & domus mea seruiemus DOMINO.

Respon-

Respondit autem
populus & dixit, Hoc
longè à nobis absit,
vt deseramus **DO-**
MINVM, & dijs alie-
nis seruiamus. Nam

Pia & honesta o-
ratio populi agno-
scentis & celebran-
tis beneficia Dei,
& pmittentis mu-
tua officia veritatis
& iusticiæ.

DOMINVS Deus noster eduxit nos &
patres nostros ex Aegypto, ex domo
seruitutis, & coram oculis nostris edi-
dit tanta signa, & custodiuit nos in
omni via per quam ambulauimus, &
inter omnes gentes, per quas iter feci-
mus, & expulit ante nos omnes popu-
los Amoræorum, qui terram incole-
bant. Ideo etiam **DOMINO** seruiem-
us, quia est Deus noster.

Iosua vero dixit ad populum, Non
potestis seruire **DOMINO**, quia est
sanctus Deus, zelotes Deus, qui trans-
gressionibus & peccatis vestris non
parcet. Si autè deserueritis & Deo alie-
no seruieritis, conuertet se & affliget
& delebit vos, postquam in vos benefi-
cia contulit. Populus vero dixit ad Io-
suam, Non, sed seruiemus **DOMINO**.

Dixit ergo Iosua ad populum, Vos
ipsi testes estis, quod elegeritis vobis
DOMINVM, vt seruiatis ei. Et dixe-
runt,

runt, Sumus testes. à vobis deos alienos, qui inter vos sunt, & inclinate corda vestra ad DOMINUM Deum Israël. Et populus dixit ad Iosua, DOMINO Deo nostro seruiemus, & voci eius obediemus. Fecit igitur Iosua eodem die fœdus cū populo, & proposuit eis legem & ius in Sichem.

Remouete igitur

Omnibus fere temporibus magna multitudo in Israël idola coluit. Hæc cum acciderint in illa parua politia, quæ neruos disciplinæ plures habuit quàm Ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperiis, cogitemus & hanc postremam mundi fenestram multis morbis & deliriis obnoxiam esse.

Et Iosua scripsit hæc omnia in libro legis Dei, & accepit grandem lapidem quem erexit ibidem sub quercu, quæ erat vicina sanctuario DOMINI, & dixit ad vniuersum populum, Ecce hic lapis erit testis inter nos. Audiuit enim omnia verba DOMINI, quæ nobiscum locutus est, & erit testis contra vos ne Deum vestrum negatis. Dimisit itaq; Iosua vnumquemq; in suam hæreditatem.

προσποροίια qualis est illa Esaie 1. Audite cœli, Auribus percipe terra.

L Acci-

Accidit autem postquam hæ res gestæ sunt, vt Iosua filius Nun seruus **D O M I N I** moreretur, cum vixisset annos centum & decem. Et sepultus est in limite hæreditatis suæ in Timnath Serah, quæ in montanis Ephraim sita est, à Septentrionali parte montis Gas. Et Israël seruiebat **D O M I N O**, donec viuebat Iosua & seniores, qui diu superstites erant post Iosuam, & omnia opera **D O M I N I** norant, quæ Israëli fecerat.

Mors Iosua.

Aetas.


Regis ad exemplum totus componitur orbis.


Ossa vero Ioseph, quæ filij Israël exportauerant ex Aegypto, sepeliuerunt in Sichem, in parte agri, quam Iacob emerat à filijs Hemor patris Sichem centum nummis, & erat hæreditas filiorum Ioseph.

Mortuus est etiam Eleazar filius Aharon, & sepelierunt eum in Gibeā filij sui Pinehas, quæ ipsi data erat in montanis Ephraim.

Eleasari mors.

Finis libri Iosua.





Τ Π Ο Μ Ν Η Μ Α Τ Α
Γ Ρ Α Μ Μ Α Τ Ι C Α
Ι Ν Ι Ο Σ Β Α Μ.

C A P. I.

COMMEATIBVS.) צִיָּה proprie venationem significat. Cum autem venationis finis sit nutritio corporis, ideo pro alimentis seu commeatibus eadem vox usurpatur, ut Psalmo 132. Venationi eius, id est, victui eius benedicam. Hinc Zidon nomen habuit, quia fuit opulentissima vrbs, in qua plurimæ fuerunt rationes comparandi victus. Nam Sidon & Tyrus duæ vicinæ vrbes opulentia & artibus fere omnibus vrbibus in toto orbe terrarum antecelluerunt.

C A P. II.

IERICHO.) Quidam exponunt Lunam. Quidam mensem vel odorem eius. Nos malumus retinere vocabulum fragrantia & propter balsami hortos, quos solos ille locus habuit, qui & palmetis clarus est, & quia filius
L 3 Dei

T P O M N H M A T A

Dei furculus saluberrimi balsami ferax.
sanauit hoc loco cæcos sedentes ad viã.

IN DOMVM MERETRICIS.) Sic
Byzantium dicitur quasi Bethzona, id
est, domus cauponæ seu meretricis, quia
propter vbertatem soli & loci oppor-
tunitatem copia ibi magna est omnium
rerum necessariarum. Nunc vero iure
appellatur hæc vrbs domus meretricis
cum sit arx blasphemix Mahometicæ
& stabulum Turcicorum latronum.

AD EXPLORANDAM TERRAM.)
הָבִין fodit. Item explorauit, quia spe-
culatores solent ea quæ contemplan-
tur quasi acie oculorum perfodere.
Item erubuit, quia pudefacti solent se
in turbam abdere & quasi defodere.

FVNICVLVS.) חֵבֶן Congregauit,
Gen. i. Et sperauit, quia spem in aliquo
repositam habentes solent ad eum con-
fugere. Inde חֵבֶן spes & חֵבֶן funicu-
lus, quia funis est corpus bene compactum.

C A P. I I I.

IORDANEM.) Iordanis in radicib.
Libani oritur, & habet duos fontes,
vnum nomine Ior, quod significat ri-
uulū, & alterum nomine Dan. Hi simul
mixti Iordanis nomen efficiunt. Sit au-
tem

G R A M M A T I C A.

tem studiosis nota Pliniana Iordanis descriptio lib. 5. cap. 15. Iordanis amnis est amœnus, & quatenus locorum situs patitur ambitiosus, accolisq; se p̄bens, velut inuitus Asphaltiten lacum dirum natura petit, à quo postremo ebibitur, aquasq; laudatas perdit pestilentib. mixtas. Ergo vbi prima conuallium fuit occasio in lacum se fundit, quem plures Genesaram vocant, amœnis circumseptum oppidis.

MARE SALIS.) In eo loco, in quo Sodoma conflagrauit, iam est mare salsum, vel mortuū, vel lacus ἀσφαλτίτης dictus ab ἀσφαλτος quod bitumē significat. Hunc lacū Plin. lib. 5. cap. 16. describens inquit: Asphaltites nihil præter bitumen gignit, vnde & nomen. Nullum corpus animalium recipit, tauri camelisq; fluitant. Inde fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit C. M. passuum, latitudine maxima XXV. implet, minima sex: Prospicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à meridie Macherus, secunda quondam arx Iudææ ab Hierosolymis. Eodem latere est calidus fons medicæ salubritatis Calirrhoe, aquarū gloriā ipso nomine præferens.

Υ Π Ο Μ Ν Η Μ Α Τ Α

C A P. I I I I.

EX IORDANE ASCENDERENT.)
In Ebræo est נקרו עולם euulsæ essent. Nam
pedes sacerdotum, qui diu steterant,
limoso alvei fundo quasi infixi erant.

GILGAL.) Hæc dictio significat
rotam, vel volutionem, vel circum-
rotationem. Potest autem fieri vt loci
appellatio inde nata sit, quod Iosua
dux Israëlis ex his castris quasi stati-
uis, omnes gentes vicinas per gyrum
circumcirca debellarit & vicerit,
& quasi circumrotando contriuerit.
Fixa autem fuerunt & principalissima
hæc castra, donec terra Canaan in duo-
decim tribus diuisa ab Israëlitis libere
occuparetur & coleretur. Fuerunt et-
iam prima castra, quæ habuit Israël in
terra promissa, & hîc cessauit Manna.
Iam enim terræ frugibus vesci cœpe-
rant. Hîc etiam celebratur pascha, &
circumciduntur fere omnes, qui Ior-
danem transierant. Nam qui in Aegy-
pto erant circumcisi, iam antea in de-
serto obierant.

C A P. V.

L A P I-

GRAMMATICA.

LAPIDEOS.) Acutos. Nam coti-
cula reddit ferrum acutum. Sic Psal-
mo 89. Auertisti petram gladij eius, id
est, aciem.

C A P. V I I.

A I.) Ai significat aceruum. Fuit è
regione Bethel. Hieronymus nominat
eam Agai, & dicit suo tempore fuisse
parua ἐρείπια seu rudera.

C A P. V I I I.

STATVTO TEMPORE.) וְיָמָּה vt a-
liàs saepe dictum est significat vtrunq̃,
certum locum, & statutum tempus.
Vtriusq̃ significationis exempla sunt
in Psalmo 74.

C A P. I X.

SARTOS CALCEOS.) וְיָמָּה quod
habet paruas maculas. מַלְבָּן quod ha-
bet magnas maculas. Kimhi in Radi-
cibus.

C A P. X.

INHIBE CVRSVM.) In Ebræo est
 $\text{שִׁתָּה$ file, tace. Est enim duplex silen-
L 5 tium,

Υ Π Ο Μ Ν Η Μ Α Τ Α

tium, aliud vocis, aliud facti, vt Psal. 4. Loquimini cum cordibus vestris & silete, id est, reprimate errantes animorum impetus. Et Psal. 37. Sile Domino, id est, non indulgeas impatientiæ, sed flecte animum ad tolerantiam. Ita hoc loco, Sile sol, id est, inhiibe currus volantes.

C A P. X I.

CINNEROTH.) Genesareth lacus est limpidissimus & piscosus in Galilæa, nomen habet à vicinæ amœnitate. Nam Genesar dicitur hortus principis. Dicitur & vrbs vicina & lacus Cinereth à figura. Nam Cinereth significat citharam.

HERMON.) Montium picturæ in tabulis conspici possunt. Iudico autem Libanum ab albedine dictum esse, cuius pars est Hermon, quod est alba altitudo. Est autem Libanus limes terræ Canaan versus Septentrionem & Ortum, & per sese altus est, præsertim circa Damascum, vbi proprie tribuitur ei nomen Hermon.

ZIDON.) Zidon nomen habuit à filio Canaan, vt Gen. 10. scriptum est. Significat autem, vt supra etiam dixi,
vena-

GRAMMATICA.

venationem. Deleta est ab Ocho rege Persarum, qui cum eam prodicione cepisset, multitudo ipsa urbem incendit, & perierunt incendio quadraginta milia hominum.

C A P. X I I I.

GAZAEVS.) Gaza vel Aza fortis. Azotus vel Asdod deprædatio vel ignis dilecti. Ascalon custos ignis vel ignis infamiæ. Geth, id est, torcular. Accaron sterilitas, eneruatio, euulsio, truncus. Fuerunt autem hæ præcipuæ vrbes gentis Philistinorum, vt toti regioni Iudææ ab Aegypto vsq; ad Phæniciam nomen dederit Palæstinæ, sicut Herodotus in Polymnia inquit, Phænicas & Syros tenentes Palæstinã trecentas naues Xerxi misisse, ac postea addit nominari Palæstinam regionem ab extrema ora Aegypti vsq; ad Phænicas. Itaq; & postea Græci, vt Ptolemæus, nomine Palæstinæ complexi sunt, Iudæam, Samariam, & Galilæam, cum tamen Philistijm non tenuerint vniuersum illud spaciũ. Sed sæpe regionib. nomina tribuuntur à parte aliqua, quæ vicinis antecellit potentia.

I N.

I N D E X M O N -
S T R A N S U S V M L E -
C T I O N I S L I B R I
I O S V Æ.

I. Testimonia de do-
ctrina.

D E vniuersali presentia Dei cap.	2
De discrimine veri Dei & idolorum cap.	3
De presentia filij Dei in Ecclesia cap.	5
De prouidentia Dei cap.	7
De libertate Dei cap.	10
De efficacia vere inuocationis cap.	10
De copulatione auxilij diuini & humane diligentie cap.	18
De veritate diuinarum promissionum cap.	21. 23

II. Promissiones.

Promissio amplissima presentie & auxilij diuini cap.	1
---	---

III. Præcepta.

Præceptum seuerissimum, vt magistratus discat legem & eam sequatur in tota gubernatione cap.	1
--	---

Regula

I N D E X.

Regula iudicij cap. 22

IIII. Exempla.

Autoritatis cap. 1

Fidei cap. 2

Occultationis officiosa cap. 2. 8

Dilectionis erga cognatum sanguinem cap.

2. 22

Aequitatis dispensantis de summo iure propter probabilem rationem cap. 9

Pietatis cap. 14

Glorie, que est testimonium bone conscientie cap. 14

Philosofias paternae erga filiam cap. 15

Boni gubernatoris, qui non est mercator suarum utilitatum in gubernatione cap. 19

Obedientiae subditorum erga magistratum cap. 22

Pij patris familiaris cap. 22

Pie sollicitudinis de Ecclesia cap. 22. 23

Gratitudinis erga Deum cap. 24

V. Allegoria &

Imagines.

Allegoria de funiculo coccineo cap. 2

Iosua imago Christi cap. 3. 10

Arca foederis imago verbi cap. 3

Alle-

I N D E X.

<i>Allegoria de petra cap.</i>	5
<i>Manna imago ministerij cap.</i>	5
<i>Allegoria de excidio Hiericuntis cap.</i>	6
<i>Rahab imago Ecclesie cap.</i>	6
<i>Imago Ecclesie cap.</i>	7
<i>Imago vicissitudinis tentationum & consolationum cap.</i>	8
<i>Allegoria de reliquijs Cananeorum, qui Israëlitis admixti fuerunt cap.</i>	15
<i>Allegoria de Ierosolyma cap.</i>	18
<i>Allegoria de morte summi sacerdotis cap.</i>	20

V I. Miracula.

<i>Transitus populi Israël per Iordanem cap.</i>	3
<i>Ruina Hiericuntis cap.</i>	6
<i>Solis statio cap.</i>	10

V I I. Precationes.

<i>Precatio Iosue cap.</i>	7
----------------------------	---

V I I I. Causæ.

<i>Finis miraculorum cap.</i>	4
-------------------------------	---

I X. Consolationes.

<i>Consolatio necessaria docentibus cap.</i>	13
<i>Consolatio opponenda sollicitudini de hospirio cap.</i>	21

Discri-

I N D E X.

X. Discrimina.

Discrimina doli & culpæ cap. 20

XI. Hortationes.


*Hortatio Iosue ad retinendam puritatem
doctrinæ & cultuum cap. 23*

Hortatio ad timorem Dei cap. 24

L I P S I Æ

*In officina Ernesti Uægelini
Constantiensis.*


ANNO M. D. LXVII.




3
[Barcode]

Handwritten purple and blue markings, possibly 'M' and '8'.







Compendium

67 $\frac{10}{11}$




ULB Halle 3
003 017 761



AB 67 $\frac{10}{11}$







LIBER
IOSVA
AD EBRAICAM VERI-
TATEM RECOGNITVS,
& argumentis atq; scholijs
illustratus
A
Victorino Strigelio.



LIPSIÆ.
CVM PRIVILEGIO.

